

~~1000~~

1000

13.495.
22.



3

PHAROS
POLITICVS
DVPLEX.

I. PRINCIPIBVS AC RE-
RVMPVBLICARVM RECTO-
ribus omnibusque Magistra-
tum gerentibus facem prælu-
cens, & ad optatum portum
iter monstrans.

II. AVLICIS, MINISTRIS
*ac Principum Familiaribus ad
actiones suas recte dirigendas lu-
cem præferens.*

OPERA ET STUDIO
GASPARIS ENS L.



COLONIÆ AGRIPPINÆ
Excudebat Matthæus Smitz.

ANNO M. DC. XXV.



P H A R O S
T I T I O N S

F. E. Y.

A C R E

T I O

M

II. A P P E T I T U S M I N I S T R I S

ac Principum familiaribus ad
hoc ministerio dirigenda in

O P E R A E T S T U D I A

G A R P A R L S F I N S I

C O L O N I A A G G R I T I M A
Exordium studii in sumis

A N N O M D C L X V





Illustri ac Generoso
DOMINO,

D. FLORENTIO
HARTHARDO
à Bokelar / Libero Ba-
roni in Asperen / Lans-
gerach / Rheid /

Archiepiscopatus Co-
loniensi VICE-COMI-
TI HÆREDITARIO
Domino in Oden-
kirchen

Domino suo gratioso.



Rodit ante
septennium
circiter sub

§ 2 Generosi

EPISTOLA

Generosi nominis Vestri luce in lucem Nucleus Historico-Politicus, meo opere a variis ex Auctoribus excerptus: opusculum leuicense quidem, tale tamen ut non ingratis Lectoribus fuisse, distracta iam exemplaria testentur. Eum libellum quum Bibliopola recudendum statuisset, meque rogasset ut accessione aliqua auctum commendatiorem

DEDICATORIA.

*datiorē facerem: tanto
lubentius operam
meam præstare volui
quod iam dudum tot
tantisq; beneficiis de-
uinctus, hætenus ni-
hil magis in votis ha-
bui quam ut grati
mei animi aliquam
qualemqualem signi-
ficationem exhibere
possem. Id quidem in-
genuetestor neminem
esse cui plus debeam,
quam Illustri Vestre
Generositati, cuius li-*

EPISTOLA

beralitatem non semel
expertus, multo tamē
plus in eiusdē optimo
erga me affectu spei po
no. Quod si boni viri
est ei cui multū debeas,
multū debere velle; &
quum sane est ut sicut
Gener. vestra benefa
cere mihi non desinit,
ego quoque agnoscere
saltim beneficia discā.
Quum ergo grati ani
mi testandi nulla alia
ratio mihi reliqua sit,
libellum hunc Nuclei

supra

DEDICAT.

*Supradicti Auctari-
um ad Generositatem
Vestram ablegare vo-
lui, humiliter orans,
ut hilari eum fronte
excipiat, suoq; patro-
cinio non indignum
arbitretur. Atque v-
tinam maius aliquid
elaborare mihi con-
tingat! Equidem toti
Mundo lubenter te-
statum facturum sim,
neminem esse cuius
virtutes, in primis
Generosam sinceri-*

§ 4 *tatem*

EPISTOLA

tatem, & sinceram
Generositatem pluris
faciam, magisque ex-
osculer & admirer.
Ea ipsa spem mihi fa-
cit, fore ut conatus
hic meus Vestrae Ge-
nerositati non ingra-
tus futurus sit. In quo
omine desino, Deum
Optimum Maximū
comprecans ut Ean-
dem cum exoptatissi-
ma Coniuge in mul-
tos annos servet inco-
lumem & florentem.

Coloniae

EPIST. DEDICAT.
Coloniae Agrippinae x.
Mar. M. DC. XXV.


Generositatis V^a.

Humilis C.

GASPAR ENS

Beneuolo

Beneuolo Lectori S.

 Vum paucos
ante Menses in
libellum Galli-
a lingua conscriptū, &
e La Cour inscri-
m, incidissem, operæ
cium facturus mihi
ebar, si aliqua ex eo
ce ta seu Monitain

erem, huicque Tra-
tulo inserta, tibi com-
municarem. Quominus
enim totum illum vti
est, hac quidem vice ver-
terim, & temporis bre-
uitas, & libelli huius ex-
igui-

P R Æ F A T I O

igitas obstitit. Dabitur
tamen, si Deus volet, alio
tempore fortè occasio
pulcherrimi atque vti-
lissimi operis perficiun-
di, & ad publicam utili-
tatem iis qui Gallicæ lin-
guæ imperiti sunt, com-
municandi. Etsi vero
Auctor nomen suum
premit; ipse tamen sti-
lus atque ipse contex-
tus magnum virū & rerū
Politicarum peritissimū
arguit. Quod si is est quē
nonnulli suspiciātur, cer-
tum est, ei parem vix in
tota Gallia reperiri: vt
qui multis Legationibus
summo

AD LECTOREM.

summo cum honore sit
perfunctus: & ad quem
ipse quoq; Rex in rebus
dubiis *Refugium* ha-
beat. Tu interea his velut
Analectis fruere, & si for-
te quædam minus tibi
placebunt, ignosce.
Scio, superuacua nōnul-
la visū iri, sed in his ne-
gotiis nihil fatis inculca-
ri posse, cogitabis. Vale.



PHAROS



P H A R O S I.

POLITICVS:

REGIBVS, PRINCIPI-
BVS, RERVMPUBLICARVM
Rectoribus, omnibusque Magi-
stratum gerentibus facem præ-
lucens, & ad optatum por-
tum iter mon-
strans.

De Regum ac Principum officio.

DVÆ sunt omnium Im-
periorum ac Principa-
tuum velut columnæ,
Vires & Consilium. Illæ *Vires &*
magnam partem fortuitæ sunt & *Consiliis.*
mutationibus obnoxia; hoc do-
mi nostræ nasci, vel aliunde adsci-
sci debet: certè tam necessarium
est vt sine pernicie abesse non
possit. Notum est illud Poëtæ:

Vis consilii expers mole ruit sua.

*Vim temperatam di quoque pro-
uehunt.*

A

Vim

*Qui in-
teresse
Princeps
debet.*

Vim temperatam appellat consilio instructam. Iam ego illud à nonnullis disceptari video, An Princeps ipse Consultationibus interesse debeat, necnè. Sed profecto Principis officium quod sit nescire mihi videntur, qui maiestate eius indignum putant, consiliis vnà cum ministris interesse. Non quidem id volo, vt omnibus etiam de minima re consultationibus interueniat; sed hoc tantum, vt quoties de rebus arduis & ad summam Reipublicæ pertinentibus deliberatur, præsentè se sistat, quò scilicet omnia auctoritate ipsius & mandato gerantur. Quanti verò hoc sit, ab aliis, & à nobis etiam alibi dictum.

*Principi
actiones*

In vniuersum id operam dare debet Princeps, vt semper vel piis operibus, vel Reipublicæ negociis, vel generosis & maiestate sua dignis corporis exercitiis occupetur. Quum enim Principiū mores & actiones sub-

subiecti vnicè imitari studeant: facile intelligitur populo ad honesta studia & virtutem excitando accommodatissima esse Principum exempla. In corporis exercitiis magna cautio adhibenda, vt ea tantum eligantur quæ nihil deformitatis habent & sed quæ tantam magnitudinem deceat. Saltationem, quæ non exosa tantum sed turpis etiã olim Romanis, hodierni mores excusant quodammodo: Principi tamen indecora est, nisi rarò tantum & non nisi grauitate quadam adhibita, vsurpetur. Chartarum tessera-
rarum & alii eiusmodi lusus hominis animum noxiis affectibus seu passionibus lacerant quasi & de statu dimouent: tum vitia, & illa ipsa in primis quæ maximè celanda sunt, iracundiam, iurandi adeoq; blasphemandi consuetudinem in apertum protrahunt. Nunquam ergo ludet Princeps,

Exercitiis

A 2 nisi

nisi temporis fallendi animique recreandi causâ ; iacturam & lucrum ex æquo habiturus , quod non difficile erit , si precium de quo certatur , non valde magnum sit. Ex omnibus pilæ lusus exercendo corpori valde est accommodatus. Equestria exercitia & decursiones non decoræ modo sunt Principi , sed etiam necessaria. De Venatione nihil dicam. Quid enim id commendem , cuius studio plerique Principes pœne insaniunt ?

Est modus in rebus ; sunt certi denique fines,

Quos ultra citraque nequit consistere Rectum.

**Cura Ar
morum.**

Ante omnia verò Principi Armo-
rum cura habenda est : sine quibus pax haberi & conseruari nequit. His enim , post Pietatem & bonas Leges , regna maxime subsistunt : his floret Respublica : his , his mali puniuntur , domâtur superbi,

POLITICVS.

5

perbi, defenduntur boni. Nihil certè tam charum suis quam aliis formidabilem reddit quam Armorum vis & potentia. His Principatus & Regna acquiruntur, his eadem euertuntur, ex his omnis fere nobilitas originem ducit. Nautæ filius fuit Antipater, figuli Agathocles, Cambyfes mendici; hic tamen nullo alio nisi armorum beneficio Persarum, Syracusarum iste, ille Macedonia regna sibi acquisiuerunt. Othomanidas vide. Armentarius fuit qui prima omnium amplissimi Imperii fundamenta iecit. Contra *Ignavia* quot Regum filii à maioribus *damna.* accepta regna solâ ignaviâ & armorum neglectu perdiderunt? Atque id tum precipue fit, si quando sub imbelli & voluptatibus dedito Principe magnæ existimationis homo aliquis existat, in quo sit armorum scientiâ, patientiâ laborû, comitas erga obuios

A 3 quosq;

quosq; in signe animi corporisq; robur: quib. astutiæ iunctis, paulatim subditorum animos sibi conciliet, ac tandem deiecto legitimo possessore, ad ipsum Principatus fastigium ascendat. Nihil ignaviâ vilius ac contemptius.

Vt versari in bello Princeps debeat.

Vt in deliberationibus.

Ad Secretorū conscientia Mōnarcha neminem admittet, eorū maximè quæ ad bellum spectant. Ex ducibus & Officiariis numerū equitum peditumq; bellicorum apparatus copiam accurate cognoscet, adeoq; ipse corā suis oculis inspiciet. In primis verò illud dispiciet, vnde comeatus exercitui quem educere cogitat, sumendus, & quā cōmodissime advehendus, interim hæc omnia ita recte aget, vt quantū fieri potest, ne suspicionem quidē eius, quod molitur cuiquā præbeat. Quod si solus de summa rei deliberare aut certi aliquid statuere non possit, aut non velit, in consiliū paucos adhibebit, eos sc. quorum prudē-

tiam ac fidē iam ante perspectam
habet; quibus sine vlla adulatio-
ne aut metu liberè sententiā di-
cendi potestati faciet: ita tamen
vt sententiæ suæ causas quisq; al-
leget: quas vbi perpenderit, de
summa rei quidq; porro agēdum
sit, ipse decernet, & iis qui maxi-
mè idonei videbuntur, absq; vlla
cunctatione negotii exsequutio-
nē demandabit. Mature n. delibe-
randum est. Verum vbi consulue-
rit, maturè facto opus est: vt scil.
hostis præueniatur. Habent qui-
dē plerique Principes nonnullos
quibus secreta communicant, sed
diligenter eis prospiciendum ne
ab his fallantur, vt quos externi
Principes tam donis quam pro-
missis inescare enixe stude

Magnis negociis aut ho
Princeps neminē adhibeb
ingenium & mores nō pla
spectas habeat. In dādis verò ho-
noribus cum seruabit modum, vt
illi ipsi qui evehuntur nulli quam

ib. In hono-
rum di-
stribu-
tione.

ipsi Principi suam debeant fortunam, nec absque illius gratia subsistere queant. Hoc enim tanquam fræno facile omnes in officio continebit, sibi que vni obnoxios faciet, qui supremam habeat potestatem. Principe digna res est, superbos posse deicere, & humiles euehere. Sed vix vllain re quam in hac maior adhibenda cautio seu moderatio: ne scilicet bene meritis mala referatur gratia; quibus tamen beneficia sua non diutius prodesse debent quàm ipsi in debita obedientia & fide perseuerârint. Principi quidem nihil est vel ad laudem vberius, vel ad conciliandum amorem efficacius, quam si omnes intelligant, virtutem ab ipso vnicè in precio haberi, & merita ex iusto & æquo æstimari, ac non minus debitis præmiis quam malefacta pœnis, compensari: atque eo certatim quisque ad seruitium ipsius excitabitur. Illud

Illud quoque modis omnibus cauebit Princeps, ne inter Ministros vnus aliquis existat qui supra reliquos caput ita efferat vt Principi ferè par videatur. Quo enim potentior quisq; est, tanto plures habebit asseclas, tantaque maiora aggredietur. Omnium consensus de alicuius præeminētia, tacitum est dominationis suffragium; cui nihil obstat quam vna regnantis persona, quam ille proculdubio, si modo possit è medio tollendam, aut alio quodā modo submouendam curabit. Exemplum lector historiarum non ignarus, facile sibi ipse in memoriam reuocabit. Eiusmodi montes Principi suffodiendi, & enormi magnitudini Ministrorum modus ponēdus est. Quid enim, si Princeps talem aliquem ob rebellionis vel quodcunque aliud crimen punire voluerit? Certe id sine magno periculo facere non

*Nemo vnus e-
uehen-
dus.*

A s poterit:

poterit: quum illi opibus, amicis
fulti, contra vim, immò ad vim
modis omnib. se cõparaturi sint.
Quocirca affabilis erit & comis
erga suos Princeps, non tamẽ ni-
mium familiaris: vnde cõtemptus
nasci solet: & honorem ipsis de-
bitum non inuidebit; sic tamen
ne de sua quidquam delibetur.

*Princeps
beneficia
ipse dis-
pensare
debet.*

Nec hoc prætereundum est, nõ
expedire Principi vt Ministerio-
rum seu dignitatum Candidatos
per alias introduci & sibi velut
obtrudi patiatur. Hi enim non
Principi sed promotori suo ob-
noxios se credunt. Aulam omni-
bus patere, tamque faciles ad
Principem aditus esse oportet,
vt non vilissimus quisque ipsi in-
notescere queat. Quin vltro
Princeps ipse hominum ingenia
explorabit, & quos virtute & bo-
nis artibus excellere deprehen-
derit, ad se adsciscet. Quare cum
subditis vt pater cum liberis ver-
sabi-

POLITICVS:

fabitur, cum eis ita loquetur atq;
aget vt nemo contemptum se me-
rito conqueri possit. Omnes nã-
que subditi è familia Principis cẽ-
fendi sunt, non minus quã mini-
stri & domestici. Hac vna ratione
Amor seu beneuolentia acquiri-
tur, firmissimũ imperiorũ vincu-
lum & fundamentũ. Docet hoc i-
psum experientia. Inferiorũ Prin-
cipũ seu Sattraparum aulas aspice,
Nobiliũ comitatu refertas: quã-
uis pleriq; nullã aliam inde mer-
cedem accipiant aut speret quã e-
ius quẽ sequuntur comitatem &
fauorem: quem etiã nõ facile de-
ferturi sunt, nisi indigne se habe-
ri & contemni intelligant. Solis
similis debet esse Princeps, qui
quanto altior est supra horizontẽ
magisq; splendet, tanto minus vl-
lũ reliquorũ siderũ apparere au-
det, at eodẽ versũ occasũ tendẽte
& alterũ hemispheriũ ingrediẽte,
primũ quidẽ planetẽ tãquã Regis

*Amor vbi
acquie-
ratur.*

*Princeps
solis si-
milis.*

A 6 illius

illius Principes, postea reliquæ
 stellæ diuersæ magnitudinis, vel-
 uti eiusdem Nobiles, conspicien-
 do sese præbent: obscuræ verò
 & nebulosæ vix vnquam nisi hy-
 bernis noctibus, cælo bene pur-
 gato & sublustri, videntur. Nec
 tamen adeo ferus ac secretus est
 rex ille luminum (Sol) quin & i-
 pse in conspectum prodeat & aliis
 quoque stellis, à minima vsque
 ad maximam, aliquid de splen-
 dore suo impertiat. huic plus, illi
 minus, pro corporum magnitu-
 dine. Et vt omnia & singula astra
 splendorẽ suũ seu lumen vni So-
 li debēt: sic in Monarchia omnes
 dignitates, honores, præmia, mu-
 nera, vni supremo Principi acce-
 pta referri debent: qui eadem cui
 & quamdiu voluerit, conferendi
 ius habet, vt omnes intelligant,
 solum esse qui suo arbitratu do-
 minetur.

Ne verò hic, vt multis euenire
 solet,

solet, impingat aut iudicio labatur Princeps, totum imperii sui statum cognitum habeat oportet, ea scilicet quæ pertinent ad vectigalia seu ærarium, ad tribuna-
*Quæ sci-
re de-
beat.*
 nalia seu iustitię administrationē, ad constitutiones Ecclesiasticas: vt de querelis quæ contra Officiarios seu Ministros adferri solent, dextre, ac recte iudicare, & abusus corrigere possit. Sed & illud operam dabit, vt insignium doctrina ac virtute virorum in regno præcipue suo exactam habeat notitiã; & cum delectu maxime idoneos officiis seu muneribus publicis administrandis præficiat. Prouincias in super regni sui, singularum iura & limites, urbium potentiam, vires, ciuium multitudinem, prætensiones seu ius in alias prouincias, non ignorabit: vti nec illud, quinam ex vicinis aut aliis Principibus & populis



PHAROS

pulis sibi regnoque amici sint; quinam inimici, seu aperti, seu occulti; quinam medii seu neutrales: vt hos ad partes suas pertrahere, ab istis sibi cauere, illos conseruare allaboret. Quæ omnia quum non sine labore tam è libris quam viua voce discantur; sapienter fecerit Princeps si virtute, doctrina & armorum vfu atque experientia clarorum virorum consuetudine multum vtatur, & tam pacis quam belli artes ab eis condiscat.

Vnius nimia potentia non ferenda.

Virium æqualitas pacem inter vicinos Reges ac Principes maximè tuetur. Hinc fit vt si quis vnus ad nimiam excrescat potentia, reliqui coniunctis animis & viribus sese contra illum munire studeant. Magnæ prudentiæ opus est tenere artem confederatos & amicos conseruandi, exteros ad se alliciendi atq; obstringendi tum inimicorū vires distrahēdi, & vel inter



inter se vel cum aliis committendi: quod qui facere velit, necesse est vt idonea ad id vsurpet remedia, quæ sunt; Confederatis seu amicis succurrere, donis vel pensionib. primates demulcere, ante omnia verò fidẽ datã exacte in omnib. seruare: q̄ vt non facile, nisi priº & re & cõscientia diligenter examinata, danda, ita semel data inuiolabiliter custodienda est.

Quod si in Principis imperio seu ditione aut discordiã aut cõfederationes seu potius conspirationes existant, initio aliquantulum dissimulatione vtendũ est (occultis enim malis remediũ sepe afferri potest, diuulgatis non item) interim verò radix quærenda & cum ramis amputanda est: quò, vt vulgò loquuntur, Sublata causa, tollatur effectus. Tandem a. homines pacifice viuunt quãdiu nec in dignitatibus, nec in facultatibº, nec in cõscientiis suis

lædun-

Quomodo
do turbationibus
occurreretur
dum.

læduntur aut vim patiuntur. Quod si inquietorum hominum metuenda sit conspiratio; pomū Eridis proiiciendum est, id est, potentiores donis ac dignitatibus deliniendi & à reliquis abstrahendi sunt: qui hoc modo debilitati, facile ad viam reduci poterunt, in quo non tam iuris rigore quam benignitate & clemētia vtendum est. Facilius sane est rebellionem impedire quam punire. Illud non difficile facere poterit Princeps, si bonum se & benignum subiectis exhibeat, & de vnoquoque bene mereri studeat, &c.

*Ministri
non faci-
de reii-
oiendi.*

Ab officio non dimouebit Princeps quemquam, nisi qui male administrationis cōuictus, aut de infidelitate suspectus fuerit. Tutius à veteranis quam tyronibus Rectoribus administratur Republica. nec mutatione illa subditis de Principe secus aliquid

siquid suspicandi aut pro lubitu
omnia agendi dabitur occasio. Si
æquum est vt subditi fidem & o-
bedientiam præstent: æquum
sane erit vt Princeps quoque id
quod initio suscepti Principatus
tam solenniter promisit, se nimi-
rum subditos suos, more præde-
cessorum, in bonis, honoribus,
dignitatibus illæsos conseruatu-
rum, & ipse præstet.

Deus est qui dat & aufert regna
quibuscumque voluerit, idem
numquam desertos patitur eos
quos amat; sed audit eorum ge-
mitus, & pro eorum excubat salu-
te. Quocirca Princeps hoc ipsum
Numen toto pectore colere ac
venerari debet, cuius vnus bene-
ficio in tantum supra reliquorum
hominum sortem euectus est, vt
imperium det omnibus, à nemi-
ne accipiat. Cur non erga eum
se humiliet à quo exaltatus est, &
cuius vel solo nutu deturbari

*Principi
debet præ-
stari.*

rur-

rursus potest? Cur non cœlestis
 obediat Regis mandatis qui suis
 vult obtemperari? Optimus hic
 & certissimus modus facti recti
 tuendi imperii: quod, vt de ex-
 ternis etiam aliquid addamus re-
 mediis, non tam vi & metu (qui
 malus custos est diuturnitatis)
 quam amore conseruatur. Et
 quum Princeps non minus quã
 reliqui homines ex animo & cor-
 pore sit compositus, duobus idẽ
 modis, Ecclesiasticæ nimirum &
 Ciuili disciplinæ, accommodare
 sese debet. Ad ciuilem quod at-
 tinet Cæsar Augustus quatuor
 has Regulas seu Præcepta accu-
 rate sibi obseruanda proposuit.
 Primo, ærarium quibus fieri po-
 test modis augendum, ita tamen
 vt ne subditi planè exhauriantur
 & perdantur: & in sumtibus fa-
 ciendis parsimoniam adhibendã.
 Secundò, comitate & mansuetu-
 dine erga omnes vtendum, & tam
 hono-

*Ciuilis
 discipli-
 na Re-
 gula.*

honoribus quam muneribus e-
 largiendis amorem conciliandū :
 quod non difficile erit Principi,
 si, vt supra quoq; non minus, di-
 gnitatum & officiorum distribu-
 tionem penes se vnum esse velit.
 Tertio, improbos homines seue-
 re puniendos, vt Princeps sicut à
 bonis diligitur, ita à malis me-
 tuatur. Quarto, bonos præmiis
 afficiendos, vt non solum ipsi ve-
 rum etiam alii ad virtutis studiū
 tanto acrius excitentur. Ad Ec-
 clesiasticam disciplinam quod at-
 tinet, planè ea in omni Reipub-
 licæ genere & statu necessaria est.
 Religionis enim & conscientia
 tāta vis est, vt homines efficaciter
 in officio contineant, nec facile à
 recto & iusto aberrare patiantur.
 Duorū ergo generū homines eli-
 gat sibi Princeps necesse est. Pri-
 mo, prouinciis, vrbibus Præfe-
 ctos, Prætores, Iudices, qui sub-
 latis litium ambagibus, ius
 face-

*Ecclesiasticam
 disciplinam*

sincere dicant, & in pacis publica perturbatores animaduertant. Secundo, Prælatos Ecclesiasticos, qui totius Clericatus curam gerant, illudq; operam dent ut populus in fide Christiana recte instruatur & de obedientia summo magistratui præstanda sedulo admoneatur.

*Medicorū
q̄i vsus.*

Medicis, qui magna cura eligendi, obtemperabit Princeps, atque ex eorum præscripto victū seu diætam instituet. Et corporis quidem sanitas nequaquam negligenda, sed eò magis elaborandum, *Vt fit mens sana in corpore sano.* Et quamuis Princeps legibus solutus sit; rectæ tamen Rationi non minus quam quisquam alius obedire, & vitiosos affectus frænare debet, quod nisi fiat, ne sibi ac populo extremam adsciscat perniciem, verendum est. Iram imprimis, auaritiam, libidines vitabit, capitales humani generis, sed

*Summa
præce-
ptorum.*

sed Principum maxime, pestes. Præmia & honores ipse distribuet; sed pœnas à magistratibus infligi iubebit; ita tamen ne delictis illæ maiores sint, & vt nemo nisi auditus & manifestò deprehensus seu conuictus damnetur. In dubiis casibus nihil præcipitandum, sed cognitio Tempori Veritatis parenti permittenda: sed nec ita lente progrediendum, vt malum morâ exasperetur.

Vt denique finem faciam, triplicem hunc scopum ob oculos semper Princeps habebit, *Honorem & gloriam diuini nominis, suâ ipsius Existimationem, & subditorum Salutem.* Sed de his satis.

PH A.



PHAROS

POLITICVS

ALTER:

MAGISTRATIBVS, AV-
 licis, Ministris ac Principum Fa-
 miliaribus ad actiones suas rectè
 conformandas ac dirigen-
 das facem prælu-
 cens.

CAPVT I.

*In quibus rebus præcipuè hominum
 studia sint posita. Modi quibus inno-
 tescat quis Principi, & gratiam
 consequatur. Quæ in eo
 consideranda.*

DVÆ omnino res sunt, ad
 quas acquirendas omnia o-
 mnium ferè hominum studia &
 actiones diriguntur, *Honores &
 Opes.* Hæc verò vt nanciscare,
 gratiam & fauorem Principis seu
 sum-

summi Magistratus tibi, compares oportet. Id fieri non potest nisi Principi innotescas. Fuerunt quidem nonnulli, qui singulari ac præcipua virtute conspicui, à Principibus vltro adsciscuntur: sed plures aliorum commendatione primo in notitiam, deinde gratiam Principis sese insinuarunt. Dinocratem quemdam (Stasicratem alii appellant) ferunt, quum frustra ad Alexandrum Magnum accessum quaesivisset, nudum corpus oleo perunxisse, tum capite hederæ foliis coronato, & pelle leonina sinistro iniecta humero, clavum Herculis instar dextrâ tenentem, ad tribunal in quo sedebat tum Alexander, accessisse: qui peregrinum habitum admiratus eum ad se vocari iussit; auditumque, etsi quæ diceret nõ probabat inter Ministros seu Aulicos recepit. Quod quidem exemplum

*Astu ali-
quando
utendi.*

plum adfero, non vt imitêre, sed vt intelligas quam difficiles sæpe sint ad Principem accessus, eoq; in parandis velut proxenetis maiorem adhibeas diligentiam.

Iam vbi ad Principis notitiam perueneris, proximum est vt gratiam eius consequare. In quo ante omnia ingenium, affectus & mores Principis considerandi sunt; nec Principis tantum, sed etiam domesticorum & familiarium, quorum ille consiliis maxime nititur & cōsuetudine gaudet; immo etiam Magnatum, qui tibi vel prodesse vel obesse possunt. Ingenium verò animique mores quiuis facile ex actionibus seu modo procedendi, vt cum vulgo loquamur, æstimabit. Nam etsi cautiores Principum ingeniū & mores plerumque celare & aliud præ se ferre studeant; facere tamen non possunt quin id ipsum quod sunt prudentibus ostendāt:

*Celari
nequit
ingeniū.*

vt

vt quorum dicta factaq; tam illustri loco sunt posita, vt neminem lateant, sed toti Mundo de iis iudicandi ansam præbeant. Quis Tiberio astutior, & ad simulandum ac dissimulandum aptior? Nemo tamen ferè fuit qui non facile ingenium eius & mores deprehenderit.

Quamuis autem Principum, vt & reliquorum hominum, inclinationes seu affectus diuersi admodum sint; commode tamen ad duo genera reduci possunt, nimirum ad illos qui Principis statum seu magnitudinem, & qui eiusdem voluptates concernunt.

Magnitudo vel in existimatione & gloria, vel in opibus, vel in subditorum obedientiâ, vel in militia consistit vigore. Iam ad quam harum partium Princeps fuerit propensior, ex eo gratiores illos habebit qui illa magis instructi fuerint.

B

Idem.

*Pares cū
paribus.*

*4. An-
nal.*

Sueton.

*14. An-
nal.*

Idem de voluptatibus & vitiis intelligendum est. Princeps suspicax & timidus, qualis fuit Tiberius, audacem seu confidentem amabit calumniatorē, qui etiam Magnatum odia parum moretur, & in Principis exsequendis mandatis sit impiger: qualis apud Tacitum Seianus. Ebriosus ebriorū delectatur consuetudine: ut idem Tiberius Pomponii Flacci & Lucii Pisonis, cum quibus continuū biduum epulando potandoq; cōsumsit; eorumq; alteri Præfecturam Urbis confestim detulit, codicillis quoque iucundissimos & omnium horarum amicos professus. Idem ignotissimum Quæsturę Candidatum nobilissimis anteposuit; ob epotam in conuiuio ipso propinante, vini amphoram. Libidinosus similis farinae gaudet hominibus: ut Nero Tigillini: qui, ut ait Tacitus, validior in animo Principis, ex intimis

mis libidinibus assumtus. Auarus
 eos eliget, qui suis artibus Fiscū
 poterunt implere: vt Vespasia-
 nus Mucianum; Isaacus Angelus *Nicetas*
 Imperator Cōstantinopolitanus
 nescio quem Clericum; Manuel
 Comnenus Ioannem Pulzæum:
 alii alios.

CAPVT II.

*Principis moribus accommodare se
 debet Aulicus: vti & publicis. Aula
 an viro bono sectanda: & quare: &
 quomodo. Lingua frenanda.*

*Adulationi an
 locus.*

Non minus scitus quam verus est
 Martialis ille versus:

*Nemo suos (hæc est Aula natura
 potentis)*

Sed domini mores habet.

De quo etiam Seneca: *Malus est
 minister regii Imperii pudor. Haud
 est facile mandatū scelus audere. ve-
 rū iusta qui reges timet deponat, aut*

B 2 pellat

*Aula ita
est uti v-
taris.*

pellat ex animo decus. Ergo tu, in-
quis, ut Virtutem ex Aula, ita ex
eadem bonos omnes proscribis,
ubi etiam vitiis Principum obse-
cundandum sit. Equidem ei qui
innocentem planè & hodiernis
moribus dissentaneam vitam a-
gere velit, auctor ego sum ut ab
Aula & forensibus aliisque publi-
cis muneribus abstineat: quæ in-
tegerrimos quoque nonnunquã
corrumpunt. Exempla quamplu-
rima & ab historicis consignata
exstant, & hodieq; in oculos in-
currunt. Festinus Maximini sub
Imperatore Valentiniano colle-
ga, Asiam multa cum laude rexe-
rat, ab omni crudelitate & calu-
mniis, quibus Maximinus erga
multos utebatur, abhorrens. *Sed*
quum (verba sunt Marcellini) *im-*
pie peremptos obsequiis suffraganti-
bus, ad Praefecturam venisse homi-
nem comperisset immeritum, exarsit
ad agenda sperandaq; similia, & hi-
strionis

Libro 23.

strionis ritu mutata repente persona, studio nocendi concepto, incedebat oculis infestis & rigidis, Præfecturã autumans adfore propediem, si ipse quoque se contaminasset insonitiũ pœnis. Aristides & re & nomine Iustus ærario apud Athenienses Præfectus, initio summa cum integritate munus hoc administrarat, quum vero nihilominus à quibusdã peculatus accusatus, ægrè nigrum vitasset calculum; prædecessorum exempla sequutus, eis quibus mos fuerat depeculandi Rempublicam, nihil cõtradixit; sicq; gratiam & laudem apud omnes inuenit. Idem hodie maximè in aulis Principum vsu venit, aut eorum qui rebus præfunt malitia, vt qui bonorum comparatione nolunt vilescere; aut Principis stupiditate: sic vt non frustra dictum sit, *Exeat aula qui volet esse pius*. Sic tamen existimo, viro bono nec Aulam

Noli esse
singula-
ris.

Malis bona bonorum conuersatio.

Lib. 13. Annal.

nec munera publica aspernanda; non solum vt sibi ipsis, sed etiam aliis, maximè verò patriæ & Principi profint. Principi quidem, vt si ad vitia sit procliuior, bonis & prudentibus consiliis à deuiotramite reducatur, & perniciosi improborum conatus retundantur, non quidem apertè semper contradicendo sed vel cunctādo, vel obiiciendo obstacula, aut magis apposita consilia & remedia suggerendo. Tali prudentia vti apud Tacitum, *Afranius, Burrus & Amæus, Seneca, Rectores Imperatorie iuuenta, iuuantes inuicem quòd facilius lubricam Principis etatem, si virtutem aspernaretur, voluptatibus concessis retinerent. Idē paulo post: Delapso Nerone in amorem libertæ, metuebatur, ne in suprafeminarum illustrium prorumperet, si illa libidine prohiberetur. Et paulo inferius: Atque ex Senecæ familiaribus Annæus Serenus, simulatione amoris aduersus*

uersus eandem libertam, primas ad-
olescentis libidines velauerat, præ-
bueratque nomen: vt quod Princeps
furtim muliercula tribuebat, ille pa-
lam largiretur. Eodem modo vir
bonus ac prudens si Principis vi-
tia emendare non possit, diuertet
tamen, & vt quam minimum no-
ceant, pro suo virili curabit.

Sed dices, raro fieri vt tyrannus
aut improbus Princeps bonos vi-
ros secū esse patiat, nedū vt vl-
tro eligat aut adsciscat. Fateor: hoc
tamen ausim dicere, nullā Aulam
tam à bonis omnibus desertā esse
quin aliquis ibi reperiat, qui
vel à Principe vocatus, vel deside-
rio bonis inseruiendi & malis ob-
sistendi eò inductus, aut Magnatis
alicuius familiaritate attract⁹ sit:
vbi quidem ea vtitur moderatio-
ne, vt nec vehemēti Principis in-
genio seu inclinationi frustra sese
opponat, nec eò abripise patia-
tur, vt Principi vitiorū & criminū

*Virres
nullibi
excludi
potest.*

B

4

socium

*Lib. 4.
Annal.*

*In fine 3.
Annal.*

*Nemo
adeo fi-
rus est ut*

focium se præbeat. Talis Lepidus ille; de quo Tacitus: *Hunc ego temporibus illis grauem & sapientem virum comperio. Nam plerumque absens aliorum adulationibus in melius deflexit: neque, tamen temperamenti egebat, quum æquabili auctoritate & gratia apud Tiberium vignerit.* Tacitus Labconem & Capitonem celebrat, quorum ille incorruptam libertatē modestiā; hic prompto obsequio Principis gratiam tuebatur. Non nego, viro bono eiusmodi vitā multo acerbiores futuram quā malo. Sed tanto plus ille honoris consequetur tantoque plus voluptatis animo percipiet, quanto prudentius sese gesserit, dum neque velut ex transuerso in Principem incurrit, sed fert quod mutare non potest, nec alienis vitiis integritatem suam corrūpi sinit. Sed & spes est, fore tandem ut Princeps ad mentem redeat, & quan-

quantum distent æra lupinis, in-^{non mī-}
 ternoscere discat. Ea enim est ^{tescere}
 vitiorū natura, vt paulatim ama-^{possit.}
 rescant, nec in voluptatum mini-
 stris & adulatoribus tantum est
 fidei quantum ad Principis serui-
 tium requiritur. ex quo fit, vt
 Princeps oculos tandem aperiat,
 & his profligatis, illos sibi adsci-
 scat atque eximios habeat. Quā-
 quam vt verum fatear, apud rerū ^{Improbis}
 potentes, improbi, potiore ^{potior lo-}
 re locum obtineant: quos ad im-^{cus.}
 perata etiam turpia facienda ha-
 bent paratiores; quos etiam ma-
 gis eis conciliat morum paritas.
 Hinc Mamertinus: *Habuerunt*
nonnulli alii Principes deuotam & Paneg.
amantem sui cohortem, sed alio quo-
dam modo. Primum quod imperiti
ac rudes indoctissimum quemque in
consilium diligebant, scilicet vt ipso-
rum prudentia in vulgus aliquate-
nus emineret. Ita quum vilissimus
quisque honorum & diuitiarum po-

B s titus

titus foret, sua commoda & vitia Principum diligebant. Ab his optimus quisque abigebatur procul; quum suspecta esset probitas & inuisa: & quanto quisque honestior tanto importunior turpium arbiter vitaretur.

Sic Dionysius Syracusanus rogatus cur pessimum quemdam hominem in suo comitatu esse pateretur, respondit: Ut sit quem magis oderint ciues, quam me.

*Loquere
sante.* Ante omnia bono viro operanda est ut linguæ frænum imponat. Vix quisquã est etiam non improbissimorum Principum, qui talẽ liberẽ loquentẽ ferre queat: quum sanniouũ dictoria cachinnis excipiant. Plato sensit, quum liberius aliquanto apud Dionysium loquutus, nauclero tradit⁹, & in Creta venditus fuit: quem redemptum Philosophi mouerunt ut vel Principum consuetudine abstineret, vel eorum moribus sese accommodaret. *Novum Ari-*

stotelis

Plotelis dictum (verba sunt Marcel-
lini) qui Callisthenem sectatorem *Et Lib. 18.*
propinquum suum ad Regem Ale-
xandrum mittens, ei saepe mandabat
vt quam rarissime *Et* iucunde apud
hominem loqueretur, vite potesta-
tem *Et* necis in acie linguae portan-
tem.

Illud certè vitari non potest
quin apud Magnates versantibus
aut honores captantibus aliquã-
do erga eos in quorum manu res
est, adulatione vtendum sit. In
quo tamen cauebit vir bonus ne
ad sordida delabatur, vt pleriquè *Nihil sor-*
olim Senatores sub Romanis *dide.*
Principibus : quos propterea
Tiberiũ ipsum Homines ad ser-
uitutem natos appellare solitum
Tacitus scribit: apud quem serui-
lis eiusmodi adulationis liberta-
tis specie tectæ plura exem-
pla existant,

CAPVT III.

*Principi an & quomodo dandum
consilium. Cunctatione quando u-
tendum: qua multa mutantur. An
vir bonus turpe mandatum obire de-
beat. Modi à turpi proposito
Principem auer-
tendi.*

*Si volo,
sic inbeo.* **M**ulti Principum eodē quo
Xerxes modo aliorum cō-
silia exquirunt, non ut iis utantur,
sed ne soli, ubi res male ceciderit,
desipuisse videantur, utq; id quod
iam ante facere decreuerūt, alio-
rum auctoritate approbetur: nec
raro, ut eorum qui consuluntur
voluntates introspiciantur. Si er-
go in consilium adhibearis, deq;
Principis voluntate aut propen-
sione dubites; sua serim ut æqua
bilance rem appendas, & rationū
momenta in utramq; partem ex-
amines, Principi vetò statuendi
arbi-

arbitrium permittas. Sic enim perniciosus ille pudor, quo nonnulli Magnates consilia mutare verentur, ne scilicet iis quos consulunt, inferiores videantur, minime eos adstringet, quum nihil dum conclusum sit: & si quid secus euenerit, Consiliarius culpam ac reprehensionem vitabit. Quod si Princeps, suam ipsius sententiam sequens impegerit, plus tribuet illi a quo premonstratum quasi errorem sibi fuisse meminerit. In rebus illicitis consilium rogatus procrastinatione utetur, aut Principem rogabit ut tertium interuenire patiatur, quò res tanto melius examinari, atque inde Principis auctoritate dignum aliquid statui possit. Primo illo modo Burrhus aduersus Neronem usus est: qui trepidus & interficende matris avidus non prius differri potuit quam Burrhus necem eius promitteret, si facinoris coargueret.

*Experientis
sapere
discimus.*

*Lib. 13.
Annal.*

tur. Sed quia dilatio hæc apud calidi & celeris ingenii Principes non multum loci habet; ad alia confugiendam.

*Tempus
multis
incom-
modis mo-
detur.*

Primò, iis in rebus quæ ratio- ni & honestati aduersari videtur, lenta admodum remedia tamquã iustiora, faciliora ac tutiora pro- ponenda sunt, quum expeditio- ra cum multis plerumque con- iuncta sint difficultatibus & in- commodis, quibus eorum vsus eleuari potest. Certum autem est, Principem, cui nihil aliud propositum quam voto suo po- tiri, facilia potius, speciosa & tu- ta electurum, quamuis lenta: nisi cæco quodam impetu duca- tur. Vt cumque res ceciderit, re- prehendi merito non poterit qui cunctandum potius quam rem temere præcipitandam censue- rit: quod & prudentiæ & fide- litatis est argumentum. Quod si forte in modis illis expedi- tiori-

ditioribus quos Princeps elegerit; difficultas aliqua occurrerit; tanto illustrior erit eius qui aliis vtendum censuit prudentia. sin Princeps ex eius consilio longiorem inierit viam, multa interea euenire poterunt quibus vel Principis ardor refrigeretur, vel rei impossibilitas ostendatur. Sed vt Principi consulendum *Scopulos* minime est vt iis modis qui dif- *vita.* ficultatem aut impossibilitatem habent, vtatur; ita si iis vti velit, non pertinaciter contradicendum, sed pleno venerationis silentio, res omnis Principis arbitrio permittenda; ne ille acrius excitatus faciliores malæ suæ cupiditatis explendæ modos amquirat.

Quia verò nonnunquam fit vt Princeps malæ rei exsequutionem bono viro demandet: certum profecto est talem quantitatis

14. An-
nal.

tauis prudentia præditam in ma-
gnis versari angustiis, præcipuè
si præsens rerum status aut officii
ratio excusationem non admit-
tat: vti Burrhus, quum Nero
frustratentata per naufragium
matris nece, eandem quocumq;
modo interfici iussisset. Hic quum
Burrhus & Seneca taciti aliquã-
diu se mutuo aspexissent, Seneca
Burrhum rogauit, an Prætoria-
nos milites in eo operam suam
præstituros arbitraretur. Negan-
te Burrho, tandem Aniceto qui
primum paricidium tentauerat,
eandem iterum committendam
censuerunt. Fateor, Christianæ
charitatis opus non esse eiusmodi
mandata in alium reiicere: sa-
tius tamen est eadem tali homi-
num generi qualis fuit Anicetus,
permittere, quam suas ipsius ma-
nus sanguine polluere.

Optimum verò fuerit, si quid
tale in Principe præuideatur,

ma-

maturè antequam radices egerit, *Principiis
obstandi.*
ex animo eius euellere. Quod
quidem nonnulli verbis, vt Pary-
satis loquebatur, sericis & molli-
bus facere conati sunt. Sed mo-
dus hic raro efficax est, nisi apud
eos Principes qui ratione magis
quam cupiditatibus suis ducun-
tur. atqui rara hæc est avis. Et si
qui tales sint, semel atque iterum
effeceris forte aliquid, non sem-
per. Fuerunt quidam (& sunt
fortè adhuc) tam dextro ac viuo
ingenio in recensendis fabulis ac
historiis, vt sub alienis perso-
nis & nominibus pericula, in-
commoda & mala, Principi per
illud ipsum quod facere ipsum
velle coniciebant, repræsentâ-
rint, sicq; cœptam iam consiliite-
lam diruperint. Sed nescio an vl-
la alia in re maiori prudentia & *Cautè.*
dexteritate vtendum: in primis
cauendum, ne Princeps illud su-
spicari possit,

— mutato nomine de te

Fabula narratur.

*Lib. 4.
Annal.*

Verissimum namque est quod ait Tacitus: *Reperies qui ob similitudinem morum aliena malefacta sibi obiectari putant.* Et Domitianus (vt est apud eundem) occidit Heluidium, quod quasi scenæ exordio sub Paridis & Oenonis diuortio, suum tractasset. Sic ergo narratio instituenda est, vt multa à Principis nostri moribus abhorrentia intermiscantur. Verum totum hoc genium quemdam requirit & naturalem aptitudinem: quam qui non habet, omnino abstinebit. Sunt etiam alii modi, quibus cauere possumus ne Principum cupiditates nec frustra oppugnemus, nec turpiter iis obsequamur: quas eligere, prudentis est Politici. In vniuersum, si cupiditatem aliquam Principis oppugnatum eamus, non illam directe, sed

*Nō rectè
semper,
sed obli-
què.*

sed

sed aliam cui non minus obnoxius est, oppugnandam nobis sumemus; semper verò illud in omnibus ostendemus, nullo alio respectu nos duci quam ut officium & obedientiam debitam ei præstemus. Talis Mucianus; de quo Tacitus: *Intelligebantur artes Muciani, ne quid novitarent Domitianus; sed pars obsequii in Muciano deprehenderetur.* 4. Hist.

CAPVT IV.

Ingenia Principum ad IV. humores relata, choleram, sanguinem, atram bilem, phlegma. Singulorum proprietates, & quomodo tractanda.

QVANTO maior viribus est Princeps tanto in moderandis animi sui affectibus seu, ut vocant, passionibus, erit *Difficilis in summa fortuna modus.* impo-

impotentior. In quibus chole-
ra seu flava bilis dominatur, su-
perbi sunt, iracundi, imperiosi, in
consiliis præcipites, in exsequu-
tione impatientes, præfidentes
sibiipsis, aspernantes aliorum
consilia, ad iniuriam faciles, fa-
ciles tamen itidem ad obliuiscē-
dum erga eos qui offensę memo-
riam bona fide deposuisse se te-
statisfuerint. Cum his ita agen-
dum est, vt semper, quod dici so-
let, pedem alterum in suspensio
habeas, & vbi is ponendus sit, at-
tendas, id est, vt videas, audias,
intelligas quid Princeps velit, e-
iusque mandatis sine vlla contra-
dictione, difficultate aut mora
obedias; quin etiam ea quæ infra
dignitatem tuam videntur mi-
nime recuses; patiens in ferendis
iniuriis, ad obliuiscendas prom-
tus; officia nequaquam expro-
brans, nec ad ea segnior, sed ala-
crior: quo quidem illud efficiet

vt

vt Princeps vbi ad se redierit, eadem melius agniturus sit, & liberalius remuneraturus: cuius tamen, donec ira deferbuerit, occursum aut præsentiam vitabit: quum eiusmodi hominibus tum etiam grata antea nauseam ac bilem moueāt. Et hi quidem omnē familiaritatem, ad quam tamen ipsi nos trahunt, pro cōtemtu interpretantur: eoque in omnibus singulari respectu & humilitate erga eos vtendum. *Ira caca est.* *Mimus.* *Fulmen est vbi cum potestate habitat iracundia.* Et: *Sen.* *Gravis ira Regum semper.* *Med.*

Qui sanguineæ, vt vocant, cōplexionis sunt Principes, ad gaudia, voluptates, ludos, iocos propensi sunt, hostes tristitiæ. Idem grauiam fugiunt negocia, eorumq; onus Ministrorum humeris lubenter imponunt, amantq; eos à quibus hac in parte subleuantur, si modo querimoniis non fatigētur, quas inuiti admodū audiunt.

Sunt

*Liberales.**Interpel-
latores
odiosi.**Athen.
lib. 10.
Deipn.*

Sunt præterea amabiles, grati, nec cuiquam iniuriam facile inferunt, acceptam facile obliuiscuntur. Cum his talibus de seriis & arduis rebus non facile agendum, sed de iis quæ recreationis aliquid habent: vbi tamen debitus Principi respectus semper habendus. Qui apud hos rebus maximi momenti tractandis sunt appositi, cauebunt, ne Principem adeant nisi vocati, ne forte eorum voluptates aut lusus interpellent, sicq; tamquã importuni, gratia excidant, aut etiam in odia incurrant. Sic Philippus Macedo tesseris ludens quodam nunciante Antipatrum adesse, & cum eo colloqui cupere, pudore & indignatione plenus aleam in lectum proiecit: veritus ne à graui viro ita ludens deprehenderetur. Quemadmodum verò eiusmodi Principum Consilarii in administrandis Rei-

Reipublicę negociis magna fruuntur prerogatiua, vt quibus illi in totum fidunt; ita hoc habent incommodi quod familiariter cum eis versari non liceat, seriis tantum negociis assueta ingenia aspernantibus. Qui autem eo sunt ingenio, vt & ad seria & ad ludicra sint idonei, Principibus eiusmodi maximè chari sunt, monendi tamen vt hilaritate illa moderate vtantur, nec quidquam muneris aut personę suę grauitate indignum committant.

Melancholici Principes tardi sunt, somniculosi, diffidentes, suspiciosi, ingeniosi, ac sæpè malitiosi, taciturni, in verbis obscuri & ambigui, etiam quum de intricatis maximè rebus agitur, dissimulatores, ab omni ferè lusu & ioco abhorrentes, amantes solitudinis, paucis beneuolentes,

Melancholici suspiciosi & suspecti.

lentes, ad odium facilimi etiam sine causa, auari, inimici eorum & quos offenderunt & à quibus offensus sunt, ultionis cupidi, adeoque irreconciliabiles, & quibus in speciem reconciliatis fidere tamen non possis nec debeas. Quomodo cum his conuersandum? Cautissime profecto, nihil dicendum, nihil faciendum, nisi bene perpensis rebus omnibus: vitanda contradictio; non nimis urgenda consiliorum decreta seu resolutiones, ne atrabilis inflammata in choleram, & cholera in odium abeat: nihil rogandum vbi repulsa timenda. Præterquam enim quod periculosum est Principem assuefacere vt quod petimus nobis neget, quum Melancholici speculatiui sint, talis Princeps omnino sibi persuadet, repulsam illam à te pro offensione seu iniuria sumi, teq; hac ipsa inimicum ipsi factum: qua

*Offendēs
offensū
partes
sumit.*

qua persuasione vt cum abducas, miraculis, vt dici solet, opus est. Nam vt ille iniurias nunquam obliuiscitur, ita etiam te offensam illam, vt ille repulsam interpretatur, nunquam bona fide remissurum putat. Verbo dicam, Difficilima est cum eis qui hoc humore præditi sunt conuersatio, propter diuersitatem & mōstrositatem obiectorum quæ inde in imaginatione producuntur: eoq; cautiùs procedendum.

Phlegmaticus tarditatem cum Melancholico, sed non astutiam, non malitiam, non diffidentiam communem habet. Gelu quod pectus eius obsidet, facit vt sibi potius quam aliis diffidat, vtq; in continuo metu versetur ad finem perducendi id quod instituit: quum modos ignoret quibus illud perficiat, in consiliis dubius fit, mēte stupidus, in exsequutione timidus; odio parum acerbus,

*Stupor
phlegma-
ticus.*

C amore

amore remissus. Huic generi optime congruunt homines solertis, viuacis & confidentis ingenii, vt illorum frigus horum calore soluatur. Princeps namque ex difficultatibus animo occurrentibus, defectum suū agnoscens, si quem nanciscatur ea suggerentem remedia quibus id efficiatur quod ipse nunquam effici posse putarat, talem amat, admiratur, & rebus suis nō opportunum modo & vtilem sed necessarium quoque putat; sic vt fauor hic, vsui seu necessitati innixus, sæpè maximè sit diuturnus. Dabit verò operam eiusmodi Principis Minister, vt quæ ipsi factu videbantur difficilima, facilem fortiantur effectum; impedietque, si possit, ne subtilior aliquis apud Principem se insinuet; eoque nec longè nec diu à Principe digredietur, ne locus ipsi præripiatur. Est hoc aulicis Ministris

*Clausus
clauum
pellit.*

nistris vsitatum, vt non nisi iis rebus quæ requiruntur inferiores introduci patiantur; quorum comparatione dodes suas magis ostendent, & simul extra periculum succenturiationis sese ponant, neque enim dubium est quin Princeps magis idoneum nactus, veterem Ministrum repudiaturus sit.

Et his quidem quatuor humoribus non minus Principum quàm aliorum hominum complexiones constant: quorum temperamentum animorum mores sequuntur: quamuis in plerisque mistio quædam reperitur, at vnus aliquis dictorum humorum prædominetur.

CAPVT V.

Principum ingenia mutabilia. Illis accommodare se oportet.

Verum enimvero valdè erraueris, si iudicium inde per-

C 2 perpetuam

*Princeps
ut Lu-
na.*

*Tac. 6.
Annal.*

petuum facere velis. Ut enim humores illi pro ætate, negociis, conuersatione mutantur; sic & Principum cupiditates, mores & actiones. Belli tempore amantur Strategis; pacis vilescunt. Mutatis animi affectibus, Ministros quoque mutabit Princeps, primasque dabit iis quos maxime putabit ad id quod agit idoneos. Proteum illum vide Tiberium, qui alius fuit sub Augusto, alius quamdiu vixerunt Drusus & Germanicus, alius viuente matre Liuia, alius dum dilexit Seianum, alius eo interfecto. De Caligula Passienus dixit, Neque meliorem vnquam seruum (uiuo scilicet adhuc Tiberio) neque deteriolem (postquam ad Principatum venit) dominum fuisse. Et hæc quidem mutatio in plerisque naturalis est, quos metus in officio continet, eo sublato, statim veros mores produnt.

Verum

Verum tamen est, prauorum
 hominum adulationibus & sug-
 gestionibus humores Principum
 sæpè mutari. Fastum & crudelita-
 tem Vitellii Tacitus id genus ho-
 minibus imputat. In eadem scho-
 la Vespasianus auaritiã didicisse
 fertur. Secessum in Capreas, vr-
 bis incusso tædio, Seianus Tibe-
 rio persuasit; vt interea viã sibi ad
 Imperium sterneret. Perennis
 Commodum Imperatorem de-
 liciis immerfit, vt interim penes
 se rerum esset summa. Bardas Im-
 peratoris Constantinopolitani
 Michaëlis auunculus, occiso
 Theoctisto & Theodora matre
 Imperatoris in exsilium eiecta,
 dum interim Princeps ille iuue-
 nis aurigariam exercet, publica
 Imperii munera reductis Philo-
 sophis & apertis Scholis, admini-
 strans, populiq; fauorem sibi cõ-
 cilians, iam in eo erat vt Impera-
 toriæ dignitatis fastigium con-

*Latæ
 anguisia
 herba.*

scenderet, nisi ab alio fuisset præ-
uentus & deturbatus. Quæ qui-
dem exempla (sexcenta alia pos-
sent) in medium hic adducimus,
non vt ad perfidiam & fraudes
Ministris viam monstremus,
sed vt moneamus Principes, à
nullis magis cauendum quam ab
illis qui voluptatibus & prauis
atque ineptis ipsorum actioni-
bus applaudunt, & nihil aliud
quam vt Principi benè sit, quæ-
rere videri volunt: quàm nulli me-
liores amici sint quam qui veri-
tatem, debita tamen cum mode-
stia, dicunt, & Principes liberè
reprehendunt.

C A P V T VI.

*De domesticis Principum. Horum
mores publici à priuatis diuersi.
Illi vt demerendi.*

AD domesticos Principum
quod attinet, quibuscum
ille familiariter agit & viuit, ad
hono-

honores emergere cupientibus
 magnum illi poterunt præbere
 adiumentum: vt qui plurimum
 apud Principem possunt, quibus
 ille se, deposita quam in publi-
 co gerit grauitate, familiariter
 & totum quasi ostendit. De *Magri*
 his Plinius iunior, non sine no- *paruis se-*
 ta Imperatorum: *Principes quum*
essent ciuium domini, libertorum
(domesticorum scilicet) serui
erant. Per hos audiebant: & Præ-
tura, & Sacerdotia, immò Con-
sulatus ab his petebantur. Pal-
 lantem illum vide apud Tacitum,
 Narcissum, Tigillinum,
 & alias similis farinae pestes:
 quæ ex Græcis Imperatoribus
 multos quoque perdiderunt. Ex-
 empla cuius historiarum non ru-
 di in promptu sunt. Et sanè fie-
 ri non potest quin Princeps iis
 quibus cum familiariter quasi
 versatur, præcipuam gratiæ &

*Sapiens
qui felix.*

amoris partem largiatur. Sed optandum esset, ut non pessimos hypocritas & adultores, sed virtute & integritate præstantes viros vel casus vel dilectus Principibus adiungeret. Quales quales tamen illi sint, sic mos habet Aulæ ut sapientissimus credatur qui plurimum habet apud Principem fidei, apud reliquos auctoritatis. Hi certè vni sunt qui plena quasi manu Principis gratiam dispergunt; eoq; omni officiorum genere demerendi. Illud tibi persuade in Aula nullos magnos Amicos, & nullos paruos Inimicos reperiri. Prodesse possunt aut nocere omnes, pro sua quisque qualitate. Sub Tiberio florente Seiano, *etiam Satrium atq; Pomponium* (homines nihili) venerabantur. *libertis quoq; & ianitoribus eius notescere pro magnifico accipiebatur.* Prudentis omnino est, domesticos Principis ita sibi facere

facere amicos, vt nihil persona sua aut genere indignum committat.

CAPVT VII.

De Magnatibus, & quomodo cum eis viuendum.

Magnatū qui apud Principem sunt, longe alia est ratio, vt quos vel generis claritas & nascendi conditio aliaque id genus decora Principi quasi ad-mouent & altius insinuant. Sunt verò duorum generum. Quidam enim priuatam agunt vitam: alii publicis funguntur Officiis. Illi quidem per se non multum prodesse nobis possunt; comiter tamen obseruandi sunt, ne nobis noceant, sed per amicos potius (quos multos habent, & apud quos plurimum possunt) nos promotum eant. Est verò hoc inter Principum mysteria, vt Ma-

*Magna-
tes colen-
di.*

C S Magnati-

*Olla fi-
tilis eū
anea.*

gnatibus nonnunquam inferior-
res, eum in finem ad magnas di-
gnitates euectos, opponant. In
quo sane caute admodum pro-
cedendum est, & ea occasionum
momenta captanda, vt quidquid
ab eiusmodi Ministro fit, populos
communis commodi causa fieri
existimet, & Princeps quod actū
probet. Etsi verò tale Ministeriū
periculo non careat; habet tamen
Ministerium eiusmodi præroga-
tivas suas. Primò, quod munitur
Principis auctoritate; eoque ipso
quod agit apud reliquos Magna-
tibus inferiores eam sibi acquirit
auctoritatem vt submittere se nō
dabitent, metu, ne Principem of-
fendant. Deinde Principi arctis
admodum vinculis sese adstrin-
git: & si speciosas nouerit elige-
re occasiones, quæ scilicet vel
Principis seruitium vel populi
protectionem, vel onerum com-
munium subleuationem concer-
nunt.

nunt, apud omnes magnam laudem & gratiam consequetur. Cavebit autem ne quid aggrediatur quod exsequi non possit. Præterquam enim quod vulgus ex eventibus iudicat, & ea cōsilia damnat quæ ad exitum non perducuntur, quantumvis sana & bona fuerint; Principis quoque existimatione in periculum adducet, eoq; ipso eius favore excidet; iis verò contra quos incurrerit, animos addet. Quando dico in Magnates non esse incurrendum non manifestas tantum sed occultas etiã offensiones vitandas suadeo: quod violenti homines & prospera fortuna ebrii quin faciant, ab animo suo vix, ac ne vix quidē impetrare possunt. Talis fuit Cn. Piso, quem Tiberius (vt Tacitus ait) Syriae præfecerat, ingenio violentum & obsequii ignarum: nec dubium ipse habebat se dilectum qui Syriae imponeretur, *vel*

*Lib. 2.
Annal.*

spes Germanici coercendas. Quae quidem in prouincia tam insolenter versatus est, vt post mortem Germanici ab ipso Tiberio desertus, & publico omnium odio expositus fuerit. Quod si omnino ab ipso Principe Magnatum conatibus oppositus fuerit, iis scilicet qui contra Rempubicam aut ipsius Principis salutem & existimationem tendere videntur; ita se geret vt nihil aliud quam ipsam iustitiam ac publicam salutem spectare videatur. Cuius modestiae ac prudentiae rarum exemplum habemus in Cardinali Ximeno, quem Isabella Castiliae regina, vt Magnatum nequaquam tam morigerorum tum vti nunc, conatibus obuiam iret, ad summos honores euexit, & à Franciscano Monacho Archiepiscopum Tolletanum fecit: quibus ille dignitatibus nihilo factus insolentior, cum Magnatibus multas quidem dis-

diffensiones exercuit, ita tamen
 vt Principem & populum semper
 ad partes suas traduxerit. Aiunt
 quidam veneno extinctum: quod
 tamen in tam prouectæ ætatis vi-
 ro credibile non est. Tristior finis
 fuit Cichonis Simonettæ, qui
 sub Francisco Sfortia, eiusq; filio
 Galeatio rerum administrationi
 præfuit, & ob insignem erga he-
 ros fidem, Galeatii minorennis
 fratrib. fuit oppositus: quos qui-
 dem, vnà cum Roberto Sanseue-
 rinate, quum, vt pupilli res saluas
 conseruaret, Mediolano eiicere
 coactus esset, iisdem postea à vi-
 dua fuit traditus, & nullam aliam
 ob causam quam quod hero ni-
 mium fuerat fidelis, supplicio af-
 fectus. Quid multa? Miseri sunt
 quorum opera Principes in re-
 bus eiusmodi vtuntur: quos po-
 stea tamquam victimas publico
 odio expiando si non vltro ipsi
 obiciunt, certe relinquunt.

CAPVT VIII.

Quomodo cum iis qui Magnatibus inferiores sunt, agendum.

Eorum qui infra Magnatum conditionem, & nobis aut superiores, aut æquales, vel etiam inferiores sunt, duplex est consideratio. Alii enim sunt qui prodesse, alii qui obesse possunt. Tam in his quam illis perpendendum quantum quisque vel per se vel per alios ad id quod volumus consequendum momenti nobis & auxilii adferre possit. Ante omnia verò illud opera dāda est vt prius amicos nobis paremus quam operā eorum opus habeamus.

Qui obesse possunt, trium sunt generum, Inimici scilicet, Inuidi, & Æmuli seu Competitores. Inimici aut nos ipsos oderunt, aut eorum causa qui nobis amici sunt:

sunt: quod posterius odium non valdè est vehemens & facile placari potest, si de illis ipsis benè mereri studeamus, atq; ita ostendamus, nos illorum inimicis non ita esse obnoxios quin ipsis quoque benefacere velimus, & possimus. In Principum tamen aulis tantæ sunt factiones, vt medium se gerere & nulli se addicere vix quisquam diu possit. Hinc prudentiores etsi in vnam partem magis propendere videantur, occulte tamen quibus possunt modis apud alteram gratiæ locū aliquem sibi seruant: non vt eum, cuius causam sequuntur prodant, sed vt rebus in deterius prolapsis velut asylum sibi paratum habeant. Synesius Tarsis præfectus quum videret Cyrum contra Artoxerxem fratrem insurgentem, nec sine suo exitio Cyri partes posset deserre, eas quidem apertè sequu-

tus

Prudentia in factionibus.

tus est, filium interim ad Artaxerxem misit, ut victo fortè Cyro, salutis haberet præsidium. Bardas Durus è Saracenorum apud quos captiuus fuerat, elapsus manibus, quum accepisset Bardam Phocam, cum quo capitales exercuerat inimicitias, contra Basilium Imperatorem electum, cum Phoca in gratiam rediit, filium verò ad Basilium misit, ut eius operâ, Phoca succumbente, Imperatori reconciliari posset: quod & factum est. Fateor, Solonem præcepisse ut exortis factionibus ciues alterutri parti sese adiungerent: non tamen vir sapientissimus id voluit ut qui diuersas factiones sequebantur, priuatis renunciarèt amicitiiis; sed potius ut qui amici essent, diuersis tamen factionibus addicti, amicabiles modos componendorum dissidiorum comminiscerentur. Tutissimum sane est inter
 Magna-

*Solonis
 lex.*

Magnatum discordias viuentem,
tam horum quam illorum gratiã,
quoad eius fieri potest, conser-
uare.

CAPVT IX.

*De inimicitis, earum causis,
remediis.*

Qui nos oderunt, id faciunt
aut quia nos offenderunt,
aut quia à nobis offensi sunt. *Pro-*
prium humani ingenii est, odisse
quem laferis, ait Historicorum co-
ryphæus. Et Seneca: *Hoc habent*
peffimum animi magna fortuna in-
solentes: quos laferunt, oderunt. Hinc
Italicum prouerbium, *Eum qui*
offenderit numquam bona fide re-
conciliari. Contra primos optimū
est remedium iniurias diffimula-
re: quas si impatienter feramus,
vindiçtæ studium ostendimus,
sicq; maius in nos odium prouo-
camus. De Archelao Tacitus: *Iniuria*
ut ferem;
da.
qui ignarus doli, vel si intellige-
re crederetur, vim metuens, in
vrbem

urbem properarat: & accusatus in senatu, non ob crimina quæ fingebantur, sed angore, simul fessus senio, finem vitæ, spontè an fato, impleuit. Nihil verò stultius est quam minas iacere: quas qui profitetur, perdit vindictæ locum. At ais, Ferendo vnâ iniuriam, prouocamus aliam. Id quidem in Regibus & Principibus quibus iniuriæ non facile dissimulanda sunt, in priuatis verò locum non habet. Hi enim si impatientes se seu irreconciliabiles ostendant, mox ab omnibus deferentur: quum nemo sit qui aliquando impingat. quod si quis errorem hunc noxæ sibi fore sciat, amicum offensum & vindictæ intentum præuenire quam ab eo præueniri malet. Si tamen iniuria nobis illata tam manifesta sit vt ignauia crimen nobis inde metuendū, extemplo ultio sumenda est,

est, ne aliis in nos quoque insur-
gendianfam præbeamus. In quo
tamen ea moderatio adhibenda
est, vt quidquid facimus, ægrè ac
inuiti facere videamur, & facile
uobis satisfieri patiamur.

CAPVT X.

*Quomodo iniuria à Magnatibus
illata ferenda.*

Vetus est verbum, *Nimiam*
familiaritatem contemptum pa-
rere. eoq; omnibus suaferim, ne
non modo sui æqualibus, verum
etiam superioribus nimis se fami-
liares faciant. Recte Martialis:

*Si vitare voles acerba quedam,
Et tristes animi cauere morsus,
Nulli te facias nimis sodalem.
Gaudebis minus & minus dole-*
bis.

Cum vtrifq; ergo, æqualibus, in-
quã, & superioribus, ita conuer-
sandum, vt ne contemptum in
nos

*Minarū
effectus.*

nos prouocemus. Scio nonnullis persuasum esse fore, vt qui nos offenderunt minis & ultionis metu adducti, gratiam nostram seu reconciliationem vltro quærant. Fecerint fortè id abiecti animi homines: numquam tamen ex animo fecerint: nec minus interea in omnes occulte nocendi nobis occasiones intenti erunt. Quod si opinio cum Magnatum aliquo nobis intercedentis inimicitiae rebus nostris aut existimationi nocitura sit, melior est ficta reconciliatio quam odium apertum.

*Offensus
reconci-
liandus.*

Si odium erga nos ex eo quod alios offendimus procedat, nostrum est aut per nos aut per alios offensum reconciliare, sed vt intelligamus quinam ex inimicis nocere magis possint, dispiciendum est quibus motibus seu passionibus, præter odium, ad nos nostrasq; res perturbandas impel-

pellantur. Quidam enim sola ultionis, quam odium suadet, ducuntur cupiditate; alii metu, ne consequuti quod quærimus, simul etiam nocendi ipsis occasiones consequamur. Quamuis autem ultionis cupiditas violenta admodum fit; multo tamen vehementior est metus. Illam namque officiis & satisfactione si nō extinguere, sufflaminare saltem aliquo modo possumus: at qui in diffidentia & metu versatur in perpetuis quasi angoribus versatur. Omnes ergo occasiones captandæ sunt, ut talibus omnem eximamus suspicionem. In aulis quidem nimisquam vsitatus mos est, deiicere quem postea subleues, ut tanto magis ille tibi sit obnoxius: sed & inter inimicos eiusmodi artes frequentes sunt, ut exemplo Horatiani illius Eutrapeli, eis quos euertere volunt se maximè amicos fingant.

Opti-
mum

mus sane gratiæ resarciendæ modus erit, vltro id præstare quod impedire nequimus, & non plus velle quam possumus: vt spontè facere videamur, quod ab inuitis extorqueri poterat.

CAPVT XI.

De Inuidis: quomodo cum iis conuersandum. deq; Inuidia remediis.

*Inuidia
prospera
fortune
comes.*

VIdeamus nunc de Inuidis. Vetus est mimus: *Inuidiam ferre felix aut fortis potest.* Et sane inuidia bonæ fortunæ argumentum est: non raro tamen prosperitate inflatos è celsissimo dignitatis gradu deturbat. Ad eam vitandam nihil præsentius, quam omnibus manifestum facere, quod persequimur aut iam assequuti sumus non nostris tantum sed aliorum quoq; utilitatibus destinatum: neq; nos tam id agere vt alijs præsimus quàm prosumus.

finus Quare etiam eorū in qui-
 bus manifesta inuidiæ deprehen-
 dimus indicia amicitiam & fauo-
 rem ambire non desistemus, hoc
 ipso illis persuadentes, quanto
 maiora conditio nostra fecerit
 augmenta, tanto maius ipsis
 in nobis fore præsidium. Ante
 omnia verò superbia & fastus vi-
 tandus est, vti & sumtus immo-
 dici, vanitates, hilaritates intem-
 pestiue, & quidquid eius est gene-
 ris: Econtra modestia & humi-
 litas omnibus in rebus vsurpāda;
 iis præsertim qui ex humili loco
 in altum euehuntur. Si tamen aut
 Principis voluntate aut officii ra-
 tione splendor aliquis ostenden-
 dus; tam prudenter ac cautè id
 faciendum vt non nostra volun-
 tate, sed vel Principis imperio
 aut muneris necessitate ducti vi-
 deamur. Illustre eiusmodi pru-
 dentiæ exemplum in suprascripto
 Cardinali Ximenio habem⁹: qui
 humi-

*Noni ho-
 mines.*

*Ximo-
sius Car-
dinalis.*

humili loco natus quum se in Franciscanorum Eremitarum dedisset familiam, Mendozae Cardinalis Archiepiscopi Toletani commendatione à Castiliae regina Isabella in Confessarium fuit adscitus: quæ mortuo Mendoza, non prius quieuit quam Toletanum Archiepiscopatum ipsi impetrasset: quem tamen ille constanter diu recusauit, tandem verò non reginae tantum sed ipsorum etiam Magnatum precibus inductus accepit, nihil tamen de pristino viuendi genere mutauit, donec ipsius Pontificis iussu tali dignitati, à plerisque omnibus Hispaniae Magnatibus expetita, conuenientem pompam adhibere coactus fuit.

C A P V T XII.

De Aemulis siue Competitoribus & quomodo cum eis viuendum.

Quæ Inuidiæ, eadem Æmulationis

tionis vitandæ est ratio. Et in hoc quidem minus est malitiæ, non minus tamen impeditenti, ob ambitionem, cuius vis admodum est vehemens. Oritur autem vel ex vanitate, vel nimia de se existimatione, ex honoribus quos exhiberi sibi vident nata. Vt autem eiusmodi æmulos seu competitores auertamus ne in eadē re ambienda nobiscū concurrant, consultum fuerit spes ipsorum extollere, eis seruire & in aliis omnibus bonam & seriam præstare operam, id quod nos persequimur, tamquam indignum ipsorū magnitudine seu qualitatibus deprimere, in quo tamen nobis, utpote meliori occasione destitutis, initium faciendum sit. Quod si metus sit ne ab illis præueniamur, operam dabimus ut scrupulum illis & diffidentiam iniiciamus, argumenta hinc inde in medium proferendo, ita tamen

Æmulationi ut occurrendum.

D vt

*Ambitio
aperta
noxia.*

vt illa quæ ipsorum ambitioni aduersantur, efficaciora sint. Sed multo satius fuerit nostrum institutum eousque celare ac dissimulare quoad iam eius fuerimus compotes: qua ratione nihil ab eiusmodi competitoribus nobis erit periculi. Ambitiosæ petitiones si ita apertè fiant, sæpè illos ipsos qui nobis auxilio futuri erant si aliter procederemus, à nobis auertunt; eo quæ & difficiliiores sunt, & eorum euentus magis incertus, & inuidiæ, si vel maxime res ad votum successerit, obnoxius; & repulsa ignominiosior. In quo remiges imitari oportet, qui ei loco ad quem contendunt dorsum obuertunt. Illi ipsi qui Principatus impotentissime ambiunt, studium hoc vnice celant. Hinc Tragicus:

*Sen.
Oedip.*

*Certissima est regnare cupienti via,
Laudare modica & ocium ac somnum sequi.*

Ab

Ab inquieto saepe simulatur quies.
 Hoc enim modo & incommoda
 quæ obiici illis poterant, & igno-
 miniam quæ ex irrito conatu in
 ipsos redundatura erat, facilè vi-
 tabunt. Sed cauendum est ne
 cum potentiori contendamus,
 etiam si de successu quasi certi si-
 mus, exemplo M. Lepidi, de quo
 Tacitus: *Tiberius per litteras M.*
Lepidum & Iunium Blaesum nomi- Lib. 3.
nat, ex quibus proconsul Africæ lege- Annal.
retur. Tum audita amborum verba,
intentius excusante se Lepido, cum
valetudinem corporis, etatem li-
beram, nubilem filiam obtenderet,
intelligereturq; etiam quod solebat,
auunculum esse Seiani Blaesum, at-
que eo preualidum. Multò mi-
 nus cum eis in competitionis
 arenam descendemus quia Prin-
 cipe fouentur, etiam si ipsa Lex &
 Iustitia à nostris stent partibus,
 quæ contra Principis gratiam ia-
 ualida. De quo idem Tacitus. De

Pratore (inquit) in locum Vipsanii Galli quem mors abstulerat, subrogando certamen incessit. Germanicus atque Drusus Haterium Agrippam propinquum Germanici forebant: contra plerique nitebantur ut numerus liberorum in candidatis præpolleret, quod lex iubebat. Latabatur Tiberius, quum inter filios eius & leges Senatus disceptaret, victa est sine dubio lex; sed neque statim, & paucis suffragiis: quo modo etiam quum valent, leges vincebantur.

CAPUT XIII.

Exempla quorundam qui Principum exciderunt favore: eiusque rei cause.

Exem-
plorum
vis.

MAiorem ad docendum atque instituendum exempla quam præcepta, apud indoctos maximè & imperitos vim habere, dubium non est, ut quæ magis animos feriunt ac mouent. Porro hæc est rerum humanarum conditio

ditio vt nihil stabile sit aut diu-
turnum. Hinc Mimus:

*Fortunam citius reperies quam
retineas.*

*Summum ad gradum quum cla-
ritatis veneris,*

*Consistes æquè, & prius quam a-
scendas decides.*

Cecidi ego. cadet qui sequitur, &c.

Causæ verò quibus gratiæ & au-
toritatis facimus iacturam, pro-
manant vel à culpa nostra, vel i-
nimicorum, atque inuidorum
malitia, vel à prauo Principis in-
genio, aut eius morte. Inter ea
quibus iusta Principis prouoca-
tur indignatio, atrocissimum est
læsæ Maiestatis crimen, quo illi
qui à Principe aut Republica
summis muneribus sunt apposi-
ti, contra eosdem res nouas mo-
liuntur, aut etiam ipsum imperiũ
affectant. Sed quia vix vllum il-
lustrius exstat exemplum, Seianũ
producemus. Hunc ait Velleius

Paterculus, fuisse actu ociosis simillimum, nihil sibi vindicantē, eoque assequentem omnia, semper infra aliorum æstimationes se mouentem, vultu vitaq; tranquillum, animo exfomnem. Tam viuacis ingenii vir tandem ab ambitione eo vsque abripi se passus est, vt Liuiæ, quæ Druso nupta fuerat, matrimonium ambierit, eum in finem vt per has nuptias aditu in domum Cæsaris patefacto, gradum sibi ad supremum strueret imperium. Quamuis autem facile animaduerreret Tiberio (qui laudata pietate Sciani, suisq; in eum beneficiis modice percursis, tempus tamquam ad ingratham consultationem petierat) petitionem hanc non parum displicere; nihilo minus tamen alias instituti sui perficiendi vias iniuit. Quum igitur non ignoraret Tiberium insigni vrbis tædio teneri, ei suavit vt in Capreas insulam

fulam secederet, sperans absente Imperatore penes se rerum summam, ut qui Prætorio esset Præfectus, & quos vellet ad Principem vel admitteret vel excluderet. In quo sane eum non fefellit opinio, ut qui pauco tempore eam sibi acquisuerit auctoritatē ac potentiam, qua ipsi Imperatori vix maior potuisset contingere. At quoniam cum Principe cauto & versipellires ipsi erat, sero admodum sensit suum se sibi ipsi exitium procurasse. Iam in eo res erat ut Seianus spes suas pro certis haberet, de quibus successu minimè dubitaret, quum è Cæsarium domo nemo superesset præter pueros; qui tantum abest ut conatus ipsius potuissent impedire, ut eorum tuendorum prætextu summam imperii facile sibi fuisset vindicaturus. Sed ut præceps est ambitio, non consideravit miser, quanto maiores sibi

acquireret vires atque auctoritatem, tanto magis, diffidenti maxime Principi, suspectum fore: & ad vitandam inuidiam satius fore minuere quam augere potentiam. Quare quum ad Principatum nihil amplius ei præter nomen (quod ipsum tamen ei quoque à nonnullis tribuebatur) & potestatem Tribunitiam, quam propriam sibi fecerant Principes, deesset; omnibus formidabilem, Principi verò suspectum se, immò exosum fecit. Angebat Tiberium quod non modo Prætorianos milites, sed multos etiam Senatores partim beneficiis partim spe Seiano conciliatos sciret. Quinetiam Principis domestici omnia eius secreta ad Sejanum deferebant: quum de Seiani rebus vel actionibus nemo hiscere auderet. Quare necessariam sibi duxit tam horum quam illorum voluntates prius explorare quam quid-

quidquam aggrediretur, vt sciret quibus fidere posset vel non. Vt verò diffidentiam omnem Seiano eximeret, Consuleum eum fecit, in litteris ad Senatum populumque Collegam & amicum appellans. deinde morbum aliquando simulabat, vt gaudii & tristitiæ signa notaret, & Seiani actiones maximè obseruaret. Mox cõualuisse se ac breui Romam venturum significabat, suis litteris modo Seianum laudans, modo perstringens: & ab eodem commendatos, hos quidem promovebat, illos repellebat, vt sic eum intra spem & metum contineret: quem à supremo conatu nihil aliud quàm auctoritas, gratia & potentia, quibus pæne supra Principem florebat, quibusque obstacula omnia facile amoturum se rebatur, deterrebat; veritum simul ne si temerarie quid faceret, se suasque spes omnes simul ac

D 5

semel

semel euerteret. Interim nō pauci qui tempestatem hanc prævidebant, paullatim à Seiano se segregabant. Quod sentiens Tiberius, famam spargi curat, constitutum sibi Tribunitiã potestatem in Seianum transferre: clam verò ad Senatum litteras scribit de Seiano in custodia attinendo: dato Macroni negotio qui eas perferret, & rem totam Memmio Regulo Consuli (alter enim Seiano erat obnoxius) & Græcino Laco-
ni Prætorianorū Præfecto, aperiret. Ad Curiam proficiscens Macro, quum in Seianū forte incidisset, rogatur, Ecquid ad se litterarū ab Imperatore haberet? Ille clam in aurem ei insuffurat, apportari à se Tribunitiam potestatem, quonuncio lætus Seianus in Curiam se confert; Macro verò Prætorianis qui Seianum comitati fuerant, Mandatum Imperatoris exponit, prolatis litteris quibus

bus Imperator donatium eis pollicebatur. Sic illis in Campum reuersis, & ipse Macro Curiam intrat; & exhibitis Senatui litteris, propere in Campum ad Prætorianos redit, Græcinum interim cum Satellitio Curia ostio apponit, obseruare iussum ne Seianus elaberetur, & seditione concitaret. Litteræ quas Tiberius ad Senatum perscripserat, longæ admodum erant, vt Macro interim rebus omnibus prouidendi haberet spacium: tum intricatæ admodum & desultoriæ. Nulla initio Seiani, sed aliarum rerum fiebat mentio. sequebatur post breuis, sed leuis admodum de Seiani actionibus querimonia: subnectebantur rursus alia negocia: inde rursus alia de Seiano querela. Tandem inter multa alia minime eò spectantia iubetur Senatus duos Seiani amicos punire, ipsum verò in custodia attinere,

nulla supplicii facta mentione, ut Seiano spes purgandi se (quæ enim obiiciebantur leuia admodum erant) relinqueretur. Perlectis litteris, quum Senatores nullam Tribunitiæ potestatis mentionem fieri audiissent, plerique surgunt & Seianum circumfistunt, ne elaberetur: quod procul dubio ille tentasset si Imperatoris litteræ asperius aliquanto fuissent scriptæ: quia verò nihil in eis erat quod ille non excusari posse arbitraretur, loco ne mouit se quidem, donec à Regulo Consule bis aut ter iussus, consurrexit, & in custodiam ductus, mox Senatus sententiâ damnatus, & à scalis Gemonianis præcipitatus fuit. Hic exitus fuit Seiani, viri absque dubio in Politicis rebus exercitatissimi: quem non tam astutia Tiberii quam nimia potentia, & quæ inde nasci solet arrogantia, pessum dedit.

Sex-

Sexcenta similia exempla pro-
ferre hoc loco possem. Sed quia
nostrum sæculum complura e-
iusmodi, eaq; valde illustria vidit,
manum tollo de tabula, suadens
omnibus qui honores aulicos
vel publicas dignitates affectant
& consequuntur, vt ne fortuna e-
brii insolescant, & dum supra o-
mnes ascendere nituntur, infra
omnes decidant. Ad me quod
attinet,

*Stet quicumq; volet potens
Aula culmine lubrico:
Me dulcis saturet quies:
Obscuro positus loco,
Leni perfruar ocio:
Nullis nota Quiritibus
Aetas per tacitum fluat.
Sic cum transierint mei
Nullo cum strepitu dies,
Plebeius moriar senex.
Illi mors grauis incubat
Qui notus nimis omnibus,
Ignotus moritur sibi.*

D 7

Corol-

Corollarium:

*IN QVO SVB GVBER-
natoris Mediolanensis persona & ex-
emplo homines eiusmodi muneribus Praefecti instruun-
tur.*

*Qua cō-
siderāda
in Sta-
tus ali-
cuius gu-
berna-
sione.*

IN omni Statu gubernādo duo
consideranda sunt rerum ge-
nera: vnum earum quæ intrinse-
cæ; alterum, quæ extrinsecæ di-
cuntur. Intrinseca siue interna
tria sunt: Iustitiæ administratio,
Ærarii siue publicorum Redituū
cura, & rerum ad militiam perti-
nentium diligens Procuratio.
Externa tria itidem sunt: Modus
cum vicinis conuersandi, Diligē-
tia in negotiis eorum & rebus
quas scire interest, peruestigan-
dis, Dexteritas eorum animis ita
se insinuandi, & tantam fiduciam
sibi comparandi, vt Gubernator
earum rerum, quæ in comitiis a-
pud

puđ ipsos tractantur, aliquam habeat notitiam, eisq; quodammodo ipse interfit.

Iustitiæ administratio in omni Prouincia præcipuum est Gubernatoris munus; sed in iis maximè regionibus & oppidis quæ in finibus alicuius imperii sunt posita, & præcipuum si nouum illud sit, & vetustate nondum benè confirmatum. Vix enim vllus vquam fuit populus, qui iustitia æqualiter omnibus administrata, communi consensu ad res nouas aspirarit, & vetere expulso, nouū dominum accersiuerit, neq; profecto omnibus molestiis, quibus subditi in Confinibus plerumq; vexantur & premuntur, commodior afferri potest medicina, quæ æquabilis quædam & recta iustitiæ administratio: cuius quidem rationes, ob magnam Senatus auctoritatem, in Mediolanensis ditionis imperio ita constitutæ sunt,

*Iustitiæ
admini-
stratio
quam
necessa-
ria.*

sunt, vt si Gubernator muneribus illis dignos atque idoneos præficiat homines, omnia quæ ad caput hoc pertinent facillime & sua tantum inspectione dirigere, atque etiam efficere possit. Senatus ab Imperatore Carolo concessa auctoritas siue potestas his verbis continetur: *Senatus Mediolanensis potestatem habeat constitutiones Principis confirmandi, infirmandi, tollendi, dispensandi contra statuta, habilitationes, prerogationes, restitutiones faciendi, &c. A Senatu ne promouere possint rei: & quidquid is faciet, parem vim habeat vt si à Principe factum & decretum esset, non tamen possit delictorum veniam & gratiam tribuere, aut litteras salui conductus reis criminum dare. Vt horum vel minimum violare vel tollere Gubernatori periculosum, ita singulis plenas habenas permittere, neque vbi opus sit restringere,*
ipsis

*Senatus
Medio-
lanensis
auctori-
tas.*

ipsis subditis quoque valdè fuerit
damnosum. Quoniam verò &
Princeps ipse facile potest decipi,
& Iudex corrumpi; Iustitiæ qui-
dem administratio tum optimè
se habebit, quando huius inte-
gritatem illius exstimulabit vi-
gilantia atque inspectio. Quæ
inspectio tanto magis est neces-
saria quanto maior est Tribuna-
lium auctoritas, maximè si in Iu-
dicis manu quodammodo posita
sit iustitia, si ab eius sententia nul-
la detur prouocatio, si aliquam-
diu magna fuerit subditorum li-
cètia, vt in hoc de quo loquimur
imperio, ob parum prudentem &
prosperam trium proximorum
Gubernatorum administrationē.
Gubernator verò qui cum magi-
stratibus colliditur, & similtates
suscipit, tres grauissimos com-
mittit errores. Primus est, quod
vniuersam Iustitiæ harmoniam
sue concentum corrumpit & tol-
lit.

lit, cum magno totius Reipublicæ damno. Secundus, quod iis qui inferiores sunt, æqualem se facit; qui ordinarius est æmulationis siue competentiaë effectus. Tertius, quod latum eis qui in eodem versantur munere, malignandi atque offendendi aperit campum. Inprimis tamen utile fuerit oculos semper in Magistratum actionibus habere defixos, Iudiciorumque obseruare processus: hoc siquidem metu tam hi quam illi in officio continebuntur; Gubernatori verò suprema conseruabitur auctoritas. Ferdinandus quidem Gonzaga exitiū suum sibi ipsi debet imputare. Primus modus fuit, quod cum Maona eo modo quo in Sicilia fecerat, vænalem prostitueret vellet Iustitiam, Gubernatorē in magnam de Senatu eiusq; deliberationibus adduxit diffidentiam. tantumque effecit vt in omnibus

mnibus causis grauioribus, quæ
sua intererant, Gonzaga Senatus
decreta aut vi impediret, aut Se-
natorum minus grauium opera
adiutus, cauillatione eluderet,
aut Senatusconsultis intercede-
ret, prout scilicet partium alteri
facturum se recepisset. tam mise-
re bonus ille Gubernator erat
fascinatus. Secunda dissidii caus-
sa eiusdem fuit Maonæ auaritia,
qui gratias itidem suo arbitrio
vendere volebat. Erat enim ibi
moris vt rebus iudicatis conde-
mnati ad Gubernatoris recurre-
rent gratiam, qui tum à Senatu
plenius omni de re informaba-
tur, vtrum scilicet causa illa gra-
tiæ capax esset, vel minus, tam i-
psius causa quam eius qui ve-
niam & gratiam petebat respe-
ctu: quod primis aliquot mensi-
bus à Gonzaga obseruatum, quū
Maona parū quæstui suo & rebus
conducere animaduerneret, Gu-
berna-

bernatori persuasit ne ad Senatus arbitrium gratias suas dispenseret, atq; ita auctoritatem suam vilescere pateretur. Quod consilium Gonzaga sequutus, nihil tale postea ad Senatum retulit, sed suo & Moanae arbitrio in his pro regula est usus. Vnde factum est ut multae gratiae quas Gonzaga concesserat, ab Aulico consilio reuocatae & irritae pronuntiatæ fuerint; ut in causa Marchionis Soncini, & aliorum. Tertia dissensionis causa fuit, quod quum ante Gubernatores in conferendis quibusdam officiis biennialibus Senatus iudicium de iis quibus ea conferenda essent, soleret exquirere, eiq; ut par erat, plurimum tribuerent, Maona vero id quoque suo quod ex Officiorum venditione captabat lucro obstare cerneret; Gonzagæ itidem auctor fuit, ut in hac quoque re suo ipsius staret iudicio, nec Senatus aucto-

auctoritatem sequeretur. Idægrè
ferens Senatus, quum postea in
Officiarios inquisitio institueretur,
(*Judicationem* appellant) id
muneris eiusmodi hominibus
demandavit, qui, ut dici solet, no-
dum etiam in icirpo quaerent,
& quaestiones acerrime haberet,
quo Gubernatoris in malis eligē-
dis ministris & Officiariis impru-
dentia & temeritas tanto omni-
bus fieret manifestior. Quartam
discordiæ inter Gubernatorem
& Senatum causam, præter Ma-
onæ prava consilia, ipsius Guber-
natoris domus & familia præ-
buit. Vix enim quidquam iusti-
tiæ & Æquitati tam est inimicū,
quam quum aut vxor, aut liberi,
aut alii qui Gubernatori vel san-
guine coniuncti sunt, aut singula-
ri apud eum gratia florēt, ac pro-
inde Iudicibus sunt formidabi-
les, causis sese immiscent, & cali-
da nimis sua studia & fauorem o-
sten-

stendunt: vt quidem eo tempore
facere solebat Principissa Hippo-
lyta, & multo magis Fabricius
Columna Gonzagæ gener. Quo-
circa rem faciunt bonis iudicibus
gratissimam, litigantibus vtilissi-
mam, & Principi ipsi honorificã,
qui prohibent ne vel consangu-
inei vel quicumque alii, quorum
aliquis est apud Iudices respectus,
aliorum causis coram tribunali
disceptandis sese ingerant, easve
amplectantur. Gubernatoris cum
Senatu dissidium, in apertam e-
iusdem cum Senatus Præside i-
nimitiam erupit; Ioannem vero
Varanam Senatorem Hispanum
eo vsq; instigauit, vt non solum
Gubernatori sese opponere, sed
perniciem quoq; & ruinam mi-
nari & moliri simul auderet; quã
etiam tandem eidem attulit, in-
quisirione siue syndicatione con-
tra Gubernatorẽ eiusq; actiones
instituta. Hæc omnia incõmoda
facile

facile vitabit is qui à se ipso depēdet, neq; ad ministrorum lubituna circumagi se finit; sed potius hanc præcipuam curarum suarum & muneris partem esse existimat, vt in vitam actionesq; ministrorum diligenter, adhibita qua par est prudentia, inquirat. Hac enim ratione iliud efficiet, vt Iudices Gubernatoris vigilantia excitati, Iustitiam æquabiliter sine cuiusquã odio vel gratia, administrent; omnes verò tam publica munera quam gratiam ab eodem impetrandas sibi intelligant, salua tamen & integra Senatus quoque auctoritate iis in rebus vbi ea vti vel necessitas vel mos iubet.

Secundum Gubernatorii muneris caput esse diximus *De cura* *Ærarii* & Redituum curam: cuius quidē *sive Redi-* *tuum.* summã N. consequutus esse dicitur gloriam, erogato in Federis sumtus sesquimillione, neque tamen vlla publicorum agrorum

rum aut redituum parte oppi-
gnorata. Quæ quidem res tanto
magis Statui Mediolanensi est
necessaria, quanto is maiori sem-
per egestate conflictatur: quæ in
omnibus quidem prouinciis pe-
riculosa est, sed longè periculosis-
sima in iis quæ in finibus positæ,
non nisi auxiliis è longinquo pe-
titis iuuari possunt, & vicinæ sunt
iis quibuscum aut grauia olim
bella gesserunt, aut pacem habet
parum securam. Equidem inter-
fui sæpè numero sermonibus,
quum Galliarum regis Oratores
Abinius & Foxius rebus suis uti-
lissimam fore diceret & hanc pu-
blicam Insubriæ egestatem, & po-
puli nimis exactionibus grauati
animos parum æquos, si Rex i-
psorum bellum esset suscepturus.
Quod quidem periculum vt au-
dientibus illis eleuatum atque
irrisi, ita Vestræ Excellentie mi-
nime illud contemnendum esse,
in au-

in aurem infusurro; maxime si
 mori aliquem contingat, vnde
 populus res nouandi sumeret oc-
 casionem. quod facile posset cō-
 tingere, partim ob turbas & inua-
 siones extrinsecas; partim ob in-
 trinsecas infirmitates & morboꝝ,
 quibus nulla adhiberi tum possit
 medicina quam ex præsentibus,
 licet tenuibus valde & accisis o-
 pibus: nisi quis irritare crabro-
 nes, & tributum imponendo se-
 ditioni ansam præbere velit.

Redituum verò tam conseruã- *Modi au-*
 dorum quam augendorum modi *gendorū*
 sunt quatuor: Vectigalia augere, *Redituū.*
 Fenera & vsuras moderari, super-
 fluos sumtus resecare, Ministro-
 rum manus & actiones diligen-
 ter obseruare.

Vectigalium, & quæ sub hoc *Vectiga-*
 comprehenduntur nomine, ex- *lium au-*
 actionum augmentatio hodie in *gmētatio,*
 tota Italia feliciter vsurpatur.
 Diuturna enim pax negociationē

E ita

ita aluit atque eò prouexit, vt omnes, tam Principes quam mercatores non mediocrem ex ea faciant quæstum. Equidem obstupui, quum intellexissem in quantum Pontificiæ ditionis reditus paucis annis aucti essent. Solū enim Romę vectigal in tres menses auctum, XX. leucatorum millia plus solito reddidit: quamuis Romæ mercatura nequaquam ita floreat, vt Mediolani.

*Modern-
sio usi-
varum.*

Quantum vero utilitatis habeat vsurarum Moderatio, nemini est obscurum. Est enim Fenus siue Vsura cancri instar siue gangrænæ, q̄ quidquid complexa est, excedit ac depascitur. Hanc quidem adhibere moderationē nūc in tanta pecuniarum apud mercenarios copia facile est: vt iam in regno Neapolitano contigisse videmus, vbi vsuræ nomine septeni numi pro cetenis soluuntur; quū antea multo fuerit maior. Idem quo

quo minus haecenus in Statu
Mediolanensi factum sit, in caus-
sa est ministrorum siue impru-
dencia siue malitia, quibus num-
quam fere promissa soluentibus
mercatores pecunias suas crede-
re nolunt, nisi immanes vsuras
stipulati.

Superfluos sumtus resecare
illius tantoperè à priscis laudatæ
Parcimoniae præcipuum est mu-
nus: quam iidem verissime *Ma-*
gnum esse vectigal dixerunt. Fiunt
autem superflui sumtus, vel in ni-
mis magnis, etiã eorũ quorũ ope-
ra necessaria est, ministrorũ sala-
riis vel stipendiis; vel in salariis
etiam mediocribus ministrorum
aut nihil aut parũ utilium ac ne-
cessariorum; in pensionibus; in
honorariis; in mercedũ augmen-
tationibus quas non facile sit
moderari, aut rursus planè ab-
olere. In his verò moderandis ita
versandum, atque ad viuum

*Moderati-
tio sum-
tuum.*

ita omnia refecanda sunt, vt non minori cura ac parcimonia Principis facultates quam nostram ipsorum rem familiarem tractemus.

*Manus
ministro-
rum ob-
seruanda.*

Manus verò ministrorum diligenter obseruare, eorumq; auaritiæ & rapacitati fibulam ponere Gubernator in primis debet. Tot enim exactionum & concussionum sunt modi, quibus ministri passim cum Gubernatoris probro, Principis damno, & populi vexatione vtuntur, vt enumerari vix queant. An verò cautione hac in Mediolanensis prouinciæ administratione opus sit, tritum sermone indicat prouerbiũ, quo regii in Sicilia ministri *rodere*, in Neapolitano regno *comedere*, in Mediolanensi Principatu *deserare* dicuntur.

Nouas ærarii cum populi grauiamine augendi rationes comminisci hoc quidem tempore minime

nimè suaferim. Quanto enim maior est populi de V. Excell. vt Italiae Principis benignitate & æquitate exspectatio, fore scilicet vt veteribus tributis subleuetur potius quam nouis oneretur; tãto acrioris, si contra accidat, percipiet sensum doloris.

Hanc quidem publici ararii partem NN. à Maona suo deceptus ita debilitauit atque exhaustit, vt bello ardente, exiguae pecuniae defectu, à periculo totius Status perdendi parum sæpè abfuerit. Maona enim, in suspicionem adductis & summotis omnibus iis quorum in hoc omni de Reditibus & Vectigalibus augendis negotio consilia antea exquiri solebant, effecerat vt penes se vnum hac in re decernendi esset facultas; ad consilium verò tantum in speciem & dicis causa, referebat, ascitis sibi duobus aliis concoloribus, quorum societate

D 3

Magnus

Magnus Cancellarius Taberna
 Triumviratum appellare solebat:
 qui ipsi deinde, re à syndicatori-
 bus siue Recognitoribus; perue-
 stigata, & Fraude eorum detecta,
 NN. ab omni culpa liberum esse
 confedi sunt, nisi quod ministro
 scelerato & auaro nimis facile in
 omnibus fidem habuisset. Is vero
 (Maona) vt Gubernatori feneri
 accipiendæ pecuniæ erat auctor;
 ita decisa sibi aliqua lucri parte,
 mercatoribus suadebat, vt quan-
 tas possent vsuras stipularentur;
 adeò vt recognitorum vnus Fran-
 ciscus Paccus dixerit, Tres viros
 illos multo plus ex vniuerso In-
 subriæ Statu emolumentum perce-
 pisse quam ipsum Imperatorem,
 confectis in eam rem rationibus,
 quarum exemplum ad Vestram
 Excellentiam mitto.

Hæ tam sinistra à Maona in-
 troductæ & vsurpatæ, à Guberna-
 tore vero approbatæ, vel saltim
 tole-

toleratae tractandi aetatis rationes, Magnum Cancellarium Tabernam & Ioannem de Luna Arci Mediolanensi praefectum excitauerunt, ut rem omnem ad Aulam detulerint, & inuidiosè exaggerarint. Multo ergo satius, immo necessarium fuerit, ut in tractandis aetarii rebus Gubernator eorum omnium quibus aliqua eius cure pars demandata est, consiliis utatur. sic enim & sinceritatis suae manifestum dabit specimen, & Officiariis suam conseruabit auctoritatem & gradum, & quod melius atque utilius fuerit, multo facilius prospiciet ac procurabit, & omnis doli ac fraudis ansam praecidet.

Non minor rei militaris cura esse debet; ut scilicet milites sub disciplina contineantur, militiae ducibus satisfiat, & sua constet apud militem auctoritas, munita conseruentur praesidia, cohortes

tam equitum quam peditum integrum habeant militum numerum, com meatuum denique omnis generis copia in promptu sit. Et quamuis vbique hæc summo studio procuranda sint; maximè tamen circa prouinciarum fines, ne cum damno & ignominia negligentiam hanc luamus.

*Heluetii
Insubria
graves.*

Heluetios Insubria semper experta est malos ac iniquos vicinos, vtpote qui non ignobilem eius partem etiam pacis tempore vsurpare non dubitarunt, ac potissimum Belinzona occupata sub Ludouico XII. Gallorum Rege. Quum enim is totam Insubriam sui iuris fecisset, & Heluetios quorum opera eo in bello vsus fuerat, dimisisset non stipendiis tantum ad assen persolutis, sed honorariis etiam & pensionibus donatos: illi ipsi domum reuersi, vti dixi, Belinzonam summa cum insolentia occuparunt, neque

neque vllam aliam facti sui rationem reddiderunt, quam quod eo loco ad aperiendum in Insubriã aditum opus sibi esse dicerent: Ludouico verò rege locum illum repetēte, multo ferocius, Muratã quoque & Locarnam poposcerunt, atque etiam ipso facto occuparunt, vt aditus ipsis ad libitũ in Italiam pateret, neque Rex eorum locorum vnquam ab eis impetrare potuit restitutionem. Tãti scilicet est eiusmodi vicinos habere, qui quum ipsi nihil habeãt, quod perdant, facile ad vim aliis inferendam prouocantur; ipsi interea in latibulis suis ab omni aditu à Natura ipsa seclusis, delitescentes. Iidem Luganum suæ potestatis fecerunt: idemq; de Valle Telina dici possit à Rhætis siue Grisonibus occupata, si modo Contractus inter eosdem & Starum Mediolanensem anno priorum quam Voltelinam illi inuasissent.

E s sent

sent inuito, fides constet. At iidem
 Diuionem in Burgundia cum ex-
 tremo Gallia periculo suam sub
 potestatem redegerunt, neque ab
 eius possessione prius quam in-
 gens ipsis à Tremolio pecuniae
 depensa esset summa, depelli po-
 tuerunt. Pacis tempore ab iisdem
 Carolus Dux tota fere Sabaudia,
 à Francisco verò primo Bressana
 Valle & magna Pedemontii Du-
 catus parte fuit exutus. Quod si
 umquam Heluetiorum gens In-
 subribus formidabilis fuit & dā-
 nosa, hodie certe multo est for-
 midabilior: quando scilicet om-
 nem cupide expectant occasio-
 nem fines suos eo vsque profe-
 rendi, vt in suo ipsorum imperio
 semetem possint facere messem-
 que colligere. Neq; enim feren-
 dum sibi existimant, vt quibus
 ferrum superabundat, iis panis
 desit. Hoc ipsorū consilium ex vl-
 timo cum Gallis renouato fede-

re perspicuè apparet. Numquam enim post percussum primū Anno MCCCCLXX. sub Ludouico XI. rege, cū Francis fedus, omnes simul pagi vno & eodem federe comprehendivoluerunt, nisi nuper paucos ante menses: non quod is Franciæ sit status vt magnum aliquod priuatum compēdium, vt olim, ab ea sperare possint, sed quod arbitrantur, fore vt propediem insignis aliqua contingat mutatio, qua imperium, amplissimum illud quidem, sed nec antiquum, nec vnitum, nec armis, nec opibus bene instructum, neque successoribus ad tantam sustinēdam machinam aptis fultum perturbetur, & si non totum, saltim pars eius aliqua prædæ ipsis relinquatur. In tali vero & simili casu vsurpatores plerumque arma eum iis coniungere solent qui ius aliquod prætentunt.

E 6 Qui

Qui igitur cum vicinis eiusmodi conflictantur, qui possunt, volunt & solent offendere, non solum ea quæ ad bellum & rem militarem pertinent, procurare debent; sed multas quoque alias cautiones adhibere, & quasi semper è re nata consilium adhibere. Sunt enim incommoda quæ rebus interuenire solent, fungorū instar, qui vna nocte nascuntur. Quod si V. Excell. in omnibus aliis rebus sumtibus parcat; hanc verò (militarem) sedulo procurarit: equidem prudenter valde & temporibus conuenienter facere videbitur: siquidem V. Excell. Gubernatio per Naturæ cursum propius quam superiorum Vicariorum abest ab iis accidentibus quæ impellere alteram in lancem illud æquilibrium possunt, quo pax hodie & quies in Republica Christiana conseruatur. Hæc breuiter de internis.

De

De externis sequitur: quorum *De ex-*
 primum caput est, quomodo vi- *ternis.*
 cini sint tractandi. in quo vt plu-
 rimum magno cum damno & pe-
 riculo peccari solet. Modus verò *1. Quo-*
 huius tractationis pro finiū quo- *modo vi-*
 que, quos Gubernator sibi habet *cini tra-*
 propositos, diuersitate diuersus *ctandi.*
 quoque est. Aliis enim rationib.
 aliisq; consiliis vtitur qui pacem
 cum aliquo colere constituit; a-
 liis qui vel vni vel pluribus bel-
 lum inferre parat.

Qui pacifice cum vicinis viue- *Septem*
 re animum induxit, ad septē has *regula.*
 regulas vniuersales tamquam ad
 Cynosuram respicere debet. Pri-
 mo, vt federa & contractus cum
 ipsis initos accurate obseruet. Se-
 cundo, ita se gerat, idque in omni-
 bus rebus vnice præferat, vt ne
 minimum quid ad cuiusquam
 præiudicium facere, nec vt sibi
 fiat, pati velle videatur. Tertio,
 mercaturam siue commercia re-

E 7 ciproca,

ciproca, ex quibus aliqua ad subditos & Principis ærarium redit utilitas, omnibus viribus promoveat. Quarto, in dissensionibus vicinorum & discordiis (sine tamen suspicione quasi anxie illud ambiat) arbitrum & sequestrum se ferat. Quinto, cum dexteritate quadam & sagacitate inter eosdem, si qua existit, diffidentiam alat, cum primis si mutua ipsorum confidentia & conspiratio damnum Statui aut periculum possit creare. Sexto, eos qui tamquam imbecilliores ad ipsius opem & tutelam confugerunt, numquam desertos patiatur, multo vero minus eos, qui in eadem cum Principe tuo sunt naui siue fortuna. Septimo, in fauendo, auxiliando, & protegendo, vbi necessitas insignem aliquam alacritatem non requirit, ita moderatè versetur, vt ne alii ad æmulationem nouaque querendas amicitias excitentur.

tur.

tur. Hac quidem in re NN. vehementer errauit, qui Doriæ Principis arte nouas semper ei suspiciones instillantis, deceptus, tanto studio atque ardore consilium eius de vlciscenda Iannetini morte aliisque Petri Aloisii Farnesii, cum ipsius ruina, factis, promouit, vt non prius conquieuerit, quã Imperatorẽ in suam quoque sententiam pertraxisset; amotis omnib. obstaculis. quæ sane plura & grauissima sese obiiciebant. Initio enim Imperator non cunctanter tantum agebat, sed dementiam quoque existimabat, rebus in Germania dubiis, Gallico regno ac rege opibus ac viribus florente, ac recentibus inter vtrumque odiis & æmulationibus, Pontificem iritare, Italiam periculosissimis tumultibus & turbis implere, eamque ob causam aliquãdiu obstinatissime coniurationis capitibus subscribere

bere recusabat, priusquam ea ad finem esset perducta. Sed superatis tandem Gonzagæ maximè diligentia omnibus difficultatibus, Aloisius quidem à cõiuratis trucidatus est; Farnesii verò ad Gallorum regis opem confugerunt, vnde grauiissimum inter duos hos Principes potentissimos bellum exarsit, & vtriusque regiones & status vehementer afflixit. Et ex hac quidem protectione statim illud de quo diximus, incommodum sequutum est, Gallorum rege æmulo potentissimo in Italiã introducto, cum quo, Senarum vrbe occupata, bellum Imperatori eiusque ministris & clientibus gerendum fuit valdè periculosum, & vno prælio non de Hetruriæ tantum, sed omnium etiã quas Imperator in Italia habebat, regionum possessione decertandum: quod prospere ad Senas gestum Imperatori quidem eiusque

que

que adhærentibus securitatem peperit; at si idem infeliciter cecidisset, de eius in Italia fortunis actum fuisset. Et hæc quidem damna & pericula vnius ministri Ferdinandi Gonzagæ imprudentia vel temeritas accersuit, calidis nimis vti consiliis, vbi cunctabundis & maturis opus erat.

Diffidentia siue dissensiones *Discordia vicinorum Insubria.*
 quæ hodie inter Insubriæ siue Statui Mediolanensi vicinos intercedunt, hæc sunt. Inter Sabaudum & Mantuanum Montis ferrati causa. Inter Genuates & Sabaudum, ob Sauonam: maxime postquam Octavius Ferrerius, quod cum Immanuele Philiberto Sabaudia Duce collisisse argueretur, à Genuatibus gladio est percussus. Inter Florentinum & Genuates; finium causa. Inter Ferrariam & Lucam, eandem ob causam. Inter Florentinum & Parmensem ob multas superioris

ris

ris temporis offensiones, quarum memoria & sensus etiamnum forsan viuit. Inter Ferrariensem, Sabaudum & Florentinum, ob titulum & præminentiam.

Secundum rerum extrinsecarum ad Gubernationem pertinentium genus in diligenti eorum quæ apud vicinos aguntur, peruestigatione consistit: quæ diligentia licet belli tempore in primis sit necessaria, tamen neque in pace omitti debet. Incidunt enim sæpe eiusmodi res, quæ nisi maturè iis obuiam eatur, pacem turbare, bellumq; conflare, aut damnum conciliare, aut vtilitatibus detrimētum aliquod afferre possunt. Rationes quibus harum rerum cognitio acquiri potest, duæ sunt. Aut enim amicorum opera, aut exploratorum heic est vtendū. Hi vt plurimū fideles sūt; illi parum sinceri: ac iudicij trutinæ vtriq; probe sunt expendendi.

Quum

Quū vero vix vllus odiosus magis hominum fit affectus, quam in aliorum inuestigandis rebus Curiositas; ea prudenter admodum & solerter celāda est, ne subodorati illi aliquid, sua clam habeant, ac caute omnia & circumspēcte agant; tū ne suspectos & odiosos pacis præsertim tempore, nos ipsos faciamus. Magno pere laudarus fuit Brissacus Galliā Marecallus, Pedemontani ducatus olim Gubernator, quod etiam ardente bello, numquam ipse cum exploratoribus sermonem misceret, sed Saualano ministro suo audiendi atque eos examinandi negocium daret.

Amicorum in exquirendis vicinorum negotiis Ferdinandus Gonzaga prudenter atque vtiliter fuit vsus. Is vero variis officiorum generibus apud Bernatium Rempubicam sibi conciliauerat. Nicolaū Zerchintem à Secretis,
Hicro-

Hieronymum Hiriacum Senato-
rem, & Præsidem Battinellam:
quorum opera illud effecit vt
Bernates à federe cum Gallis per-
cutiendo abstinuerint, nec milite
eos iuuerint: ac simul non ea tã-
tum quæ alii Principes cum Re-
publica illa tractabant, verum et-
iam intima omnium Pagorum a-
pud Heluctios consilia & institu-
ta est expiscatus: quo quidem ni-
hil ad status Mediolanensis con-
feruandam incolumitatem erat
opportunius. Anno autẽ MDL.
parum abfuit quin eorundem a-
micorum eisq; cognatorum ope-
ra cum vniuersa Heluctiorum
gente de defendẽda ditione Me-
diolanensi fedus fuerit percussũ:
quod vt rebus suis utilissimum,
summoperẽ hæctenus Imperator
exoptarat. Id verò quum Gallo-
rum regis cõperissent ministri, o-
mni studio multisque largitioni-
bus illud impediuerunt, nihilo-
minus

minus tamen Imperator Battiuellæ filio, quamuis res non successisset, promissam in Burgundia arcem donauit.

Ea quoq; quæ de vicinis renūciata nobis sunt, diligenter ruminanda & maturo iudicio sunt ponderanda. periculosum quippe est omnia credere, & ad ea consilia dirigere. Quum Ferdinando Gonzagæ Genuâ renunciatum esset, Horatium Peccum, & Georgium Tricerchium nobiles Senenses cum Gallis de Mediolanensi arce occupanda consilium agitare; res ea Gonzagæ tam absurda visa est, vt totum hoc commentitium esse arbitraretur. neque enim credibile existimabat, duos hos peregrinos, opibus & amicis destitutos vel cogitationem tanti facinoris suscipere audere. Iaucis tamen post diebus verissimum id fuisse deprehensum est; neque quidquam arci illi saluti fuit, quã
quod

quod scalæ duobus palmis iusto
breuiore fuerat: qua amissa, quæ
cōsequutura fuerint facile est cui-
vis colligere. Econtrario idem
Gonzagæ facile fidem habebat iis
quæ Doria de Petri Aloisij contra
Mediolanensem Statum machi-
nationibus singulari quodam ar-
tificio ad ipsum deferri curabat:
quæ res Aloisio necem tanto ma-
gis acceleravit. Alius, cuius no-
mini parco, eidem Gonzagæ per-
suaserat, Sabaudum ad Gallos de-
fectionem cogitare, multas qui-
dem ob causas, sed inprimis ob
acerbam Caroli Quinti Impera-
toris reprehensionem, quod Gal-
lorum equitatum in loco quodã
opportuno non inuasisset. Quod
quidem Gonzagæ non tantum
verisimile visum fuit, sed dignum
etiam quod ad Imperatorem re-
ferretur. inde præter multa alia
diffidentia signa erga Ducis in
Pedemontio ministros palam o-
stensa,

stensa, vicinis suis præsiidiis tā nu-
 merosum militem imposuit, ac si
 periculum illud certo certius, &
 iam in foribus esset. Et hæc qui-
 dem ipsemet quum in Anglia v-
 terq; essemus, Sabaudia Ducem
 mihi narrare memini, non sine a-
 cerbissimi doloris sensu. Iude po-
 stea idem apertas inimicitias cō-
 tra Gonzagam gessit atque exer-
 cuit, & in ruina eius acceleran-
 da, diligentem operam nauauit.
 Idem Ferdinandus Gonzaga
 quum Salassiorum Marchio ei
 fidem non habuisset, in extremū
 fere periculum vniuersum statū
 Insubriae adduxit. Monuerat is
 Ferdinandum Gonzagam, Domi-
 num de Neriu de Vercellarum
 oppido Gallis prodendo consilia
 tractare; ac simul auxilia rebus
 suis postularat. Lectis his litteris,
 Gonzaga sibi persuasit id eō
 tantum à prædicto Marchio-
 ne coniectum esse, auxilia vt
 tanto

tanto facilius impetraret: idque etiam sequenti mane nonnullis non sine risu narrauit. At vix mēsis exierat, quum Vercellarum oppidum domini de Nerui potissimum opera, in Gallorum potestatem venit: ac nisi arx, cuius ope deinde oppidum fuit recuperatum, hostiles manus effugisset, vniuersus Insubriæ Status ad incitas siue extremum periculum fuisset redactus. Quod quidem periculum & alia multa nunquam incurrisset Gonzaga, si Regulas de eiusmodi aliorum Monitis & Nunciis sedulo obseruasset, ex quibus præcipuæ sunt; Audire omnia: Secreta habere omnia: Examinare diligenter omnia, expensis omnibus circumstantiis & conditionibus personarum, rerū, loci, temporis, & aliis ex quibus aliquo modo verum aut falsum inuestigari potest.

In iis quoque quæ circa ipsum fuerint

fuerint sobrie & caute tractandis diligentem adhibere cautionem Gubernator debet; ac præcipue in Agentibus, quos vocant, qui Legatorum siue Oratorum apud alios Principes succenturiati veluti sunt & Optiones, & plerumque rerum tractandarum non peritissimi. hinc iidem nimis subtiliter omnia excutientes, & nodum sepe in scirpo quærentes, res ab omni ratione abhorrentes comminiscuntur, & dominis etiam suis persuadere conantur. Cosmus Medices Hetruriæ Dux apud Ferdinandum Gonzagam Agentem quendam habebat, qui nescio quas opinionum chæras sibi ipsi fingens, animum Principis sui à Gonzaga vehementer alienauit, adeo ut is cum Ioanne de Luna contra prædictum Producentem sese coniunxerit. Gonzaga optimæ voluntatis suæ sibi conscius mirabatur,

F nec

nec tamen sciebat quænam illius
esset offensionis causa : donec
tandem Agentis leuitas & men-
dacia in apertum fuere producta.

Venatorum itidem Agens siue
Subdelegatus , quum quodam
die Gonzaga de bello quod in
Corsica tum gerebant Genuates,
libere sermonem cum ipso con-
tulisset, absurdam ex illius verbis
fabulam commentus est, Gonza-
gam scilicet de ædificanda Genuæ
arce cogitare. Quod licet vanissi-
mum & impudens mendacium
per totam Italiam fidem inuenit;
Genuæ vero incredibiles turbas
excitauit, adeo vt ciues , quum
forte per id tempus Hispaniarum
tum Princeps, iam Rex, eò apu-
lisset, apertæ diffidentia signa pe-
se ferrent. Hinc prudentior fa-
ctus Gonzaga, dicere solebat, A-
gentes eiusmodi hominum esse
genus, quibuscum circumspecto
modum, & quasi alia assumæ

per

persona loquendum sit.

Restat vltimum rerum Extrinsecarum caput, quod est, ita se vicinorum animis insinuare, tantamque confidentiam sibi conciliare, vt deliberationum & consiliorum quæ in conuentibus ipsorum tractantur, quodammodis particeps. Quanti vero inter Principis, ita à vicinis amari, vt fiduciam quoque in ipso ponant omnibus perspicuum est, nec vllis ad demonstrandum exempli eget. Quibus vero modis Amicitia & fiducia acquiri possit, nemi mini quoque politicarum rerum paulo peritiori est obscurum. Verum ita se gerere vt Amicitia hic integer conseruetur, neque Fiducia illa diffidentia quadam nube obducatur, singularis est prudentia & dexteritatis. Quum enim dolor interdum & molestia eorum quæ fiunt ita premi & celari non possit quin aliqua eius indi-

cia sese prodant; fit plerumque ut multo tempore collecta gratia vno effundatur momento. Quod ut vitetur, duo præcepta notanda sunt. Primum est, Ne vlla offensionis vel simultatis signa erga eos ostendamus, quos fidere nobis volumus. Alterum, in doloris sensu id semper operam demus, ut culpa in ministrum aliquem conferri & emendari queat; mente tamen & tacito animi sensu, quoad rei ipsius summam, dissimulato, &c.

Illud de Annonæ & rerum vitæ inferuentium cura, quæ ad utrasque res tam intrinsecas quàm extrinsecas pertinet, singulari capite à nobis erat explicandum. quum vero in mea hac scriptura nihil aliud mihi propositum sit, quam ea V. Excellentia quasi intento digito commonstrare, in quibus Ferdinandus Gonzaga, Maonæ scelere & Malitia supplan-

plantatus, lapsus est, illud tantum dicam, nullam rem magis probrosam eiusdem nomini & existimationi fuisse, quam hanc eandem. Neque enim vlla est natio vel gens, quæ annona vel paululum ingrauescente, facilius omnia ad Gubernatoris trahat infamiam, quam Lombardorum: etiam tum quum inopiam à sterilitate proficisci nō ignorant. Causa vero est ministrorum auaritia, qui vt plurimum quanto annona est grauior, tanto maiori cum licētia fraudes & imposturas multiplices committunt. neque curatu facile est hoc vulnus iam inueteratum. Spero tamen, quæ est singularis Vestr. Excellent. prudentia, rara integritas, & incredibilis sapientia, eiusdem diligentia & opera malis omnibus conuenientem adhibitum iri medicinam, ac fore vti (quod dici solet) Panis sit in foro, Iustitia in

Curia, securitas & Pax vbiq̄ue,
 gubernante scilicet eo, cuius ad
 audiendum facilitas, ad creden-
 dum cunctatio, in deliberando
 maturitas, celeritas in exsequen-
 do, in moribus integritas, publi-
 cis rebus pariat securitatem: qui
 denique familiam suam ipse gu-
 bernet, ipse vero à nemine suo-
 rum familiarium & ministro-
 rum, sed ab ipsa tantum

Ratione rega-
 tur.



NE

NE SE QVENTES PA-
gellæ vacarent, hæc addere
visum.

TRes tulerat Fortuna duces; quos
obruit omnes

Armorū strue diuersa feralis Enyo.
Crassum Parthus habet; Libyco ia-
cet aequore Magnus:

Iulius ingrata[m] perfudit sanguine
Romam.

Et, quasi non posset tot Tellus ferre
sepulcra,

Diuisit cineres. hos gloria reddit ho-
nores. (hiatu,

Est locus exciso penitus demersus
Parthenopen inter, magnaq; Dicar-
chidos arua,

Cocytia perfusus aqua, nam spiritus
extra (su-

Qui fuit effusus fune stolo spargitur
Non hæc autumno tellus viret, at
alit herbas

Cespite latus ager; non verno perso-
na cantu

Mollia discordi strepitu vulgata
loquuntur:

Sed chaos, & nigro squallentia pu-
mice saxa

Gaudent ferali circumtumulata cu-
pressu.

Has inter sedes Ditis pater extulit
ora,

Bustorum flammis, & cana sparsa
fanilla,

Ac tali volucrum Fortunam voce
lacepsit:

Rerum humanarum, diuinarum-
que potestas,

Fors, cui nulla placet nimium securam
potestas,

Quae noua semper amas, & mox pos-
sessa relinquis;

Equid Romano sentis te pondere
victam?

Nec posse ulterius perituram extol-
lere molem? (tus,

Ipsa suas vires odit Romana iuuen-

Et quas struxit opes, male sustinet, a-
spice late

Luxu

Luxuriam spoliatorum, & censum in
damna furentem.

Ædificant auro, sedesque ad sidera
mittunt.

Expelluntur aqua saxis: mare na-
scitur aruis,

Et permutata rerum statione rebel-
lant.

En etiam mea regna petunt. perfossa
dehiscit

Molibus insanis tellus iam montibus
haustis

Antra gemunt: & dum varios lapis
inuenit usus,

Inferni manes calum sperare iuben-
tur.

Quare age, Fors, muta pacatum in
prælia vultum,

Romanosque cie, ac nostris da funera
regnis.

Iam pridem nullo perfundimus ora
cruore,

Nec mea Tisiphone sitientes perluit
artus,

Ex quo Sullanus bibit ensis, & hor-
rida tellus.

Ex-

*Extulit in lucem nutritas sanguine
fruges.*

*Hac ubi dicta dedit, dextra con-
iungere dextram*

*Conatut, rupto tellurem soluit hiatu.
Tunc fortuna leui defudit pectore
voces:*

*O Genitor, cui Cocyti penetralia
parent,*

*Si modo vera mihi fas est impune
profari,*

*Tota tibi cedent, nec enim minor ira
rebellat*

*Pectore in hoc, leuiorq, exurit flam-
ma medullas.*

*Omnia, quæ tribui Romanis arcibus,
odi,*

*Muneribusque meis irascor: destruet
istas*

*Idem, qui posuit, moles Deus. Et mi-
hi cordi*

*Quippe cremare viros, Et sanguine
pascere luxum,*

*Cerno equidem gemina iam stratos
morte Philippos,*

Thessa-

*Theſſaliaq; rogos, & funera gentis
Ibera.*

*Iam fragor armorum trepidantes
personat aures,*

*Et Libya cerno tua Nile gementia
clauſtra*

*Aeliasque ſinus, & Apollinis ar-
ma timentes.*

*Pande age terrarum ſitientia regna
tuarum,*

*Atque animas arceſſe nouas. Vix na-
uita Prothmeus*

*Sufficiet ſimulacra virum traducere
cymba,*

*Clasſe opus eſt, tuque ingenti ſatiare
ruina.*

*Pallida Tiſiphone, concitaq; vulnera
mande*

*Ad Stygios manes laceratus ducitur
orbis.*

F I N I S,

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is difficult to decipher due to its low contrast and the texture of the paper.

F I N I S



Hippolytus Cardinalis Estensis
ap. Mur. 16 var. lect. 4.

In ijs reprehendi potest severitas qui ad
formulam suam non vivunt, sed alia fa-
ciunt ipsi, alia publice facienda praescri-
bunt: in eo non potest, qui nullam aliam
legem ponit, quam non sibi ipse multo
ante posuerit.

Eiusd. ibid. et sic annotantur sunt.

Nihil prohibet, esse aliquem et optimum virum
et non optimum Principem.

Optandus est medicus, qui aliquando curat. (Erat.

Non satis aptus est ad regendum homines,
qui ab hominibus est, et stat supra hominem,
exigit.

Miseror homines, si sola innocentia tutor
facit.

Cogitabit, qui imperat, quomodo sibi olim
alius imperare voluisset.

Quod tu alius prestare non posse miraris, id
te alij prestare posse mirantur. Si quid tu
quod olim tale fecisti, ignoscis a alijs, ut igno-
scant tibi in sin. nihil in cogita non eandem
a Deo datam esse omnibus animi firmitatem.

Qui ad minora peccata interdum connivere
non vult, saepe ad majora homines cogit.

Aliud ultio est, aliud correctio. Qui ulcisci
vult, iratur est, qui corrigere, amicus. Ille cum
qui peccavit, non amplius esse vult: hic esse
quidem, sed non amplius talem esse.

Non sunt ferenda vitia, sed qui nullum vitium
fert nullum hominem ferat.

Calvin. Zech. p. 283.


AB: 37 $\frac{13}{1,9}$

ULB Halle
006 567 800

3



VD 17



Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

H A R O S
L I T I C V S
V P L E X.

NCIPIBVS AC RE-
VBLICARVM RECTO-
omnibusque Magistra-
erentibus facem praelu-
& ad opratum portum
onstrans.

ICIS, MINISTRIS
ncipum Familiaribus ad
s suas recte dirigendas lu-
eferens.

ERA ET STVDIO
PARIS ENS L.



NIAE AGRIPPINA
bat Matthæus Smitz.
O M. DC. XXV.

3

